



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sacramentis, Mille Sexcenti Errores, Vaniloqvia, Et Cavillationes

Miletus, Vitus

Mogvntiae, 1593

VD16 M 5205

De Sacramento Poenitentiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30094

Millesexcenti Errores,

In cap. Cum om̄
us de Consec. d. 2.

1329. Commixtionem specierum, quam fieri iubet Canon, non solum non reperiri in antiquis Patribus, sed ipsum etiam prohibere Iulium Papam. *Kemnit.* Atqui in omnibus extare lyturgiis antiquissimis, atq; in ipso ordine Rom. Alcuin. Amalar. Microlog. intuenti patet. Iulius verò, non istam, sed aliam quandam damnat commixtionem, quam quidam faciebant in distributione Eucharistiæ, quam etiam damnat Micrologus cap. 19. & Concil. Bracar. I I I. can. 1. Mixtionis verò specierum nec mentionem quidem facit.

1330. Omnia illa, quæ in Canone Iuris sunt diuini, Pontificios liberè negligere, mutare, abolere & sepelire, pro humanis verò ritibus & cæremoniis retinendis, ferro flammaq; pugnare. *Kemnit. pag. 196.* Calumniæ: Nihil enim, quod iuris est diuini negligitur, vel sepelitur, sed seruatur & præcipitur: quæ verò iuris sunt humani, suo seruantur & retinentur loco & ordine, ne enim à Maiorum laudabili traditione & consuetudine discedamus, ipsa passim monet & iubet scriptura. 2. Theff. 2. Pro. 22. 2. Machab. 7.

Luth. de Abrog.
Missæ.

1331. Quicquid tandem dicant & replicent Pontificij, Missam non esse aliud, quàm Caudam & Caput Diaboli, & inuentum Antichristi, &c. Ita putà, quia Lutherus dixit, qui ipso suo fore & auctore Diabolo Missam abrogauit; quam utique non abrogasset, si Caput suum vel Cauda fuisset? An enim suum sibi amputat Caput vel Caudam Diabolus?

DE SACRAMENTO Pœnitentiæ.

Ex Kemn. in 2.
part. Examin. d
pag. 205.
Matth. 25.

1332. **M**Ultam Pontificios prædicare, præstare nullam pœnitentiam; *Passim omnes.* An ergò non solum malè viuendum, sed etiam malè docendum? quæ docent,

docent, inquit scriptura, non quæ agunt (si mala sunt) facite. Nullam verò apud Pontificios, vel veram esse apud sectarios pœnitentiam, vtrumq; à vero deuiat. Vt enim multi apud Pontificios mali, ita multi quoq; sunt boni: apud alios verò, si fidem ipsorum spectes & doctrinam, nulli boni: tum quia fidem & Ecclesiam veram deseruerunt, & oppugnant: tum quia non solum omnia opera sua, sed seiplos substantialiter peccata esse, ac in omni opere (etiam pœnitentiæ) peccare, vltro passim & vbique fatentur: tum denique, quod deteriores longè homines sub Euangelio suo effectos, efficiq;, quàm vel sint, vel vnquam sub Papatu fuerint, ipsi de seipsis passim scribunt & testantur. *Quid ergo* (inquit Christus) *vides festucam in oculo fratris tui, non autem vides trabem in oculo tuo?* Omnibus autem & singulis dictum est: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* In hoc verò meliores sunt aduersariis Pontificij, quòd etsi malè viuant, malè tamen non docent, nec vnitatem Ecclesiæ dissipant, in qua quoties volunt, salutarem pœnitentiam agere possunt, id quod sectarij, quamdiu extra Ecclesiam sunt, non possunt.

Luth. Domin. 1.

Aduent. Ibidem

Muscul.

Smidel. de errato

planet.

Matth. 7.

Luc. 6.

Luc. 13.

1333. Veram esse apud Lutheranos & Calvinianos pœnitentiam: At quomodo vera esse potest de peccatis pœnitentia, vbi nulla est de fidei desertione resipiscencia? An extra veram Christi Ecclesiam, veram habere quisquam potest, aut salutarem pœnitentiam? *Quicumq; vult saluus esse* (inquit Symbolum) *ante omnia opus est, vt teneat Catholicam fidem, Quam nisi quisq; integram inuolatamq; seruauerit, absq; dubio in æternum peribit:* Et Psalmista: *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit & parauit, Et in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Itaque veram nullus habet, nec habere potest pœnitentiam, quamdiu non redit ad Ecclesiam Catholicam, extra quam (vel ipsi etiam Ecclesiæ desertoribus testibus) nulla est salus. Vnde Augustinus epistola centes. quinquages. sec. *Quisquis ab Ecclesia Catholica fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se viuere existimet, hoc*

Millesexcenti Errores,

hoc solo scelere, quod à Christi unitate disiunctus est, non habet vitam, sed ira Dei manet super illum. Et alibi: Extra Ecclesiam, nemo potest habere salutem, Extra Ecclesiam, totum potest habere, præter salutem, potest habere honorem, potest habere Sacramentum, potest cantare Alleluia, potest respondere Amen, potest Euangelium tenere, potest in nomine Patris & filij & Spiritus sancti fidem & habere & prædicare, sed nusquam nisi in Ecclesia Catholica, salutem poterit inuenire. In Serm. super gest. cum Emerito. Idem lib. 2. con. epist. Parmen. cap. 3.

1334. Pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum, Cum id nec Lutherani quidem plæriq; negent. Apolog. Confes. August. Philip. in Loc. supr. de Sac. in gener. Et ipse Luther. Tom. 7. Serm. de Pœnit.

1335. Quando quærent Pontificij, si sine Pœnitentia Sacramentum, non aliud quærerere vel intelligere, quàm: Vtrum peccatores post baptismum, quærentes reconciliationem cum Deo, abducendi sint à fide obedientiæ, passionis & satisfactionis Christi, ad fiduciam propriæ actionis, contritionis, confessionis & satisfactionis, ita vt nostræ actiones, accedente ad eas verbo absolutionis, sint Sacramentum, & causa efficiens remissionis peccatorum. *Kemnit.* Figmenta sunt omnia & puræ calumniæ: An enim qui homines ad fidem ducunt Catholicam, à fide abducunt Christi? & quæ alia fides Christi, nisi Catholica? Et quis, redemptionis meritum in alio, quàm in redemptore constituit Christo? Quis sine merito Christi, vllum agnoscit vel constituit meritum puri hominis? An Christus ipse, quamuis pro omnibus satisfecerit, nullum tamen fore saluum asserit, nisi pœnitentiam egerit? An suam quemq; non iubet tollere crucem?

Luc. 13.
Matth. 19.

1336. Plurimum sudare & laborare Pontificios, si quo colore, speciem aliquam Sacramenti inuenire queant in pœnitentia. *Caluin. lib. 4. Instit. cap. 19. §. 16.* Cum nec laborent quidem, nec vel idiora dubitarint aliquando: Etsi verò Scotus & alij quidam pauci, Sacramenti huius rationem in Absolutione posuerint, omnes tamen reliqui in contritione, confessione, & satisfactione constituerunt, ipsam verò Absolutionem, formam magis quàm partem, censuerunt.

1337.

Millesexcenti Errores,

fit in noua, & tamen opinione Pontificiorum, illam non fuisse Sacramentum. Atque eandem profus fuisse pœnitentiam in veteri, quæ est in lege Christi, quis dixit? An Deus in veteri lege, sicut in noua, hominibus dedit peccata soluendi ligandiq; potestatem?

Ioan. 20.
Matth. 16.
2. Reg. 12.

1347. Nathan Prophetam, Sacramentaliter absoluisse Dauidem. Hoc sæpius repetit & inculcat Kemnitius. Cum aliud ad eum Propheta non dixerit, quàm, *Transtulit Dominus peccatum tuum*. An hoc est Sacramentaliter absolueret? An Christus vsquam dixit, *Quibus dixeritis peccata esse translata vel remissa, remittentur eis?* an remittitur, quod antequam remittatur, remissum esse denunciatur?

1348. Non aliud esse Absolueret, quàm absolutum à Deo, propter fidem & Euangelium, pronunciarer. Atque hæc noua Grammatica, noua est Theologia, in Scholis & Ecclesiis hætenus inaudita. Infr.

1349. Ipsos etiam Pontificios, ex pœnitentia & mundatione læpræ veteris Testamenti, probare, pœnitentiam noui Testamenti, veram habere rationem Sacramenti. Kemnitius. An idè inferendum, veterum quoque pœnitentiam fuisse Sacramentum? An idè umbra corpus? aut figura est veritas, quia per umbram corpus, per figuram probatur veritas?

1350. Pontificios non aliam ob causam negare, eam, quam Christus & Ioannes prædicabant pœnitentiam, verum fuisse Sacramentum, quàm quod gratis per fidem sine operibus, peccata remittebant. At miror, quomodo sine operibus Ioannes peccata remittebat, cum eos omnes damnari clamer, qui dignos pœnitentiæ fructus non egerint, Et Christus: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*. An opera non exigunt pœnitentiæ? Quod si quando Christus absque Confessione & Absolutionis iudiciario processu, peccata dimisit, id, quia Sacramenti & hominum Dominus est, facere potuit, quam auctoritatem Ministris non dedit, sed legem præscripsit?

Matth. Luc. 3.
Luc. 13.

1351. Sacramentum pœnitentiæ non esse aliud à Baptismo, utpote cuius vi & efficacia, etiam peccata post Baptismum remittuntur. *Luth. Kemnit. Calvin.* At si sola baptismi rememoratione peccata dimitterentur, ad baptizatos Christus non dixisset, Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, peribitis, &c.* Supra de Baptismo.

1352. Antè annos centum, Gabrielis tempore, nihil certi adhuc extitisse definitum, de Materia huius Sacramenti. *Kemnit.* Cum paulò antè scripserit, Lombardum primum fuisse, qui Sacramentum ex pœnitentia fecerit. Et ipse Gabriel ex communi omnium sententia, actus pœnitentis materiam, & verba Sacerdotis definiat esse formam. Et 40. annis ante Gabrielem idem definiat Concil. Florent.

*In 4. d. 14. q. 21.
artic. 1.*

1353. Concilium Tridentinum non definire, actus pœnitentis esse materiam, sed quasi materiam; Ex quo consequens esse vult Kemnitius, ipsam quoque pœnitentiam Sacramentum esse, vel quasi; & remittere peccata, vel quasi. Verùm Concilium non ait, Actus pœnitentis esse materiam, vel quasi, sed quasi materiam, non quod propriè Sacramenti materia non sit, sed quod in comparatione aliarum materiarum Physicarum, non sit propriè materia Physica. Et si cauillandum est, cur non etiam infert Kemnitius, Christum esse vnigenitum Dei filium, vel quasi, plenum gratia & veritate, vel quasi: quia scriptum est, Ioan. 1. *Quasi vnigenitus à Patre, plenus gratia & veritate.*

Sess. 14. cap. 3.

1354. Scotum & alios quosdam, eius esse opinionis, in sola absolute essentiali huius consistere Sacramenti. Atqui Sacramentum esse pœnitentiam, idcirco Scotus non negavit, quod ad causam contra aduersarium sufficit.

In 4. d. 14. 16.

1355. Pontificios, necessariam doctrinam de pœnitentia fœdissimis conspurcare erroribus. *Heshus. in suis 600. erroribus, tit. 9.* Si dicere sufficit, vicit Heshusius. At verò eos aliam nō tradere, quàm à Maioribus traditam in Ecclesia inuenerunt, nec addidisse, nec detraxisse quicquam, constat.

Millesexcenti Errores,

1356. Erroneum esse, quod docent Pontificij, Pœnitentiam esse, præterita peccata plangere, & plangenda non admittere, Vel, Quod sit dolor cordis, & amaritudo animæ, pro peccatis, quæ quisque commisit. Atqui nemo vnquam fuit, definitiones has qui repræhenderit, Nec Pontificiorum, sed Patrum sunt verba. Greg. homil. 34. in Euang. Ambros. de Pœnitent. d. 1. August. & aliorum.

1357. Erroneum esse, quod Pontificij docent, Pœnitentiam esse secundam post naufragium tabulam. At esse docet Hieron. in epist. ad Pammach. ad Demerriad. ad Sabinianum, & in c. 3. Isai. Supr. de Bapt. Impossibile est enim, hominem post baptismum & lapsum, reparari ad gratiam, nisi per pœnitentiã. Heb. 6.

1358. Pœnitentiam non esse Baptismum laboriosum, nec magnis opus esse fletibus, si veram fidem teneas. Atqui non sic pœnituit Petrus, quando amarè fleuit. Matth. 26. Non sic Maria Magdalena, quæ pedes lachrymis lauit. Luc. 7. Non sic Dauid, qui stratum suum lachrymis rigauit. Psal. 6. 4. 125. Non sic qui in Cinere & Cilicio pœnitentiam egit. Iob. 42. Non sic Reges & Prophetæ, qui Saccis induti, grauem expresserunt luctû, Ioel. 2. Jerem. 6. Ion. 1. 2. Et quidem pœnitentia, si pœna careat, quæ? qualis pœnitentia?

1359. Pontificios leui cæremoniarum aspergine, totã mentis amaritudinem sanare. *Caluin. lib. 3. Instit. cap. 4.* Cum (vt sup. & infr.) summum animi dolorem exigant.

1360. Apud Pontificios, immensa esse de pœnitentiæ externis exercitiis volumina, de interiori verò mentis renouatione, quæ veræ vitæ correctionem secum trahit, altum silentium. *Caluin. loco cit. §. 1.* Cum statim immemor sui, subiungat, *De Contritione & Attritione multum esse apud Pontificios sermonem.* An Contritio & attritio interiores non sunt animi motus? quomodo de his profundum silentium, si de his multus sermo?

1361. Pontificios docere, nullam in pœnitentia fidem esse necessariam. *Luth. de Capt. Babyl. & art. 6. aduers. Bull. Antichr.* Cum eodem planè loco hæc habeat verba: *Papistæ ipsimet docent, pœnitentiam*

penitentiam nullius esse momenti, nisi in fide & charitate fiat, nisi quod nec quid fides, nec quid charitas sit, sciant aut doceant. Quomodo docent & non docent? Et quid vanius, quàm dicere, Pontificios docere, non esse necessariam fidem in Sacramento fidelium? An fideles fidem non habent?

1362. Pontificios docere, hæresim esse, si quis doceat, fidem esse necessariam in pœnitentia. *Luth. loc. cit.* Cum prorsus oppositum doceant, si quis enim dixerit, fidem non esse necessariam, anathema sit.

1363. Pontificios, quando asserunt, fidem esse necessariam in pœnitentia, non aliud intelligere, quàm inanem illam persuasionem, quod credant pœnitentes, si actiones illas à Pontificiis præscriptas susceperint & præstiterint, se veniam peccatorum illis actionibus impetraturos. *Kemnit.* Atqui fides, quæ per charitatem fructus operatur pœnitentiæ, non est inanis fides. Et Concilium quidem Trident. ait, Credere debere pœnitentem, se gratis per gratiam & redemptionem, quæ est in Christo, iustificari, actiones verò illas dispositiones esse duntaxat. *Sess. 6. cap. 6.*

1363. Lutheranos & Calvinianos non excludere fidem à pœnitentia. Cum veram nec habeant fidem, extra fidem autem & Ecclesiam nulla vera pœnitentia, nulla remittuntur peccata. *August. in Enchyr. cap. 65.*

1364. Ante Lutherum adedò obscuratam fuisse doctrinam de pœnitentia, ut vel præcipua eius capita cognoscere nemo poterit. *Philip. in Apolog.* Atqui Christiani pœnitentiam tum agebant, de ea, an agenda vel necessaria, vel Sacramentum esset, more Lutheranorum non disputabant: Ea verò de pœnitentia totaq; religione ignorabant, quæ etiamnum ignorare, quàm scire, præstat.

1365. Lutheranos magnum lumen attulisse articulo de pœnitentia. Vti toti (puta) Religioni & Euangelio, cuius omnes partes tot inuoluerunt tenebris, ut nec ipsi, quid pœnitentia sit, vel Euangelium definire, aut inter sese possint conuenire.

1366. Pontificios Sacramentum pœnitentiæ, totum quantum

Millesexcenti Errores,

tum aboleuisse, & nec vestigium quidem eius reliquisse. *Luth. in Capt. Babyl. de pœnit.* Egregiè: Pœnitentiam ex numero Sacramentorum iam pridem sustulerunt, omnes eius partes succiderunt, vix speciem eius & vmbra[m] reliquerunt, Et Pontificios, qui ipsum vti à Maioribus acceperunt, & in Ecclesia inuenerunt, incorruptè retinent, ne vestigium eius reliquisse, aiunt?

1367. Pœnitentiam non consistere in actu eius, qui sanctificatur, id est, in actione pœnitentis. An ergò sine actione pœnitentis pœnitentia? An pœnitere quis potest, sine pœnitentia?

1368. Hallucinari Pontificios, quod pœnitentia quædam sit secundum habitum, quædam secundum actum. At si non datur vlla secundum habitum pœnitentia, dormientes ergò vel aliud quippiam operantes, erunt impœnitentes, cum vtiq; actu non pœniteant?

1369. Falsum esse, quod habitualis pœnitentia debeat esse perpetua, non autem actualis. An ergò aliud non agendum, quàm semper & perpetuò actu pœnitendum? nunquam ergò aliis vacandum virtutum actionibus? nunquam amandus Deus? nunquam iuuandus proximus?

1370. Pontificios docere, contritionem priorem esse fide, neq; fidei opus, sed meritum. *Luther. loco citat.* Cum (quod verum est) Heshufius in suis 600. errorib. tit. 9. error. 13. scribat, Pontificios docere, fidem antecedere, & nequaquam esse partem pœnitentiæ: Et quidem sine fide quis pœnitet?

1371. Horrenda blasphemia Pontificios docere, sanguinem Christi, vim suam & efficaciam, sumere à pœnitentia, & actu exteriori hominis. Ita, inquit Heshufius, loco citato, docet Catechismus Romanus. Sed verba Catechismi hæc sunt: *Cum nemo salutem, nisi per CHRISTVM eiusque passionis beneficio consequi possit, consentaneum nobisque vtilissimum fuit, eiusmodi Sacramentum institui, cuius vi & efficacia CHRISTI sanguis ad nos defluens, peccata post baptismum admissa elueret. Quæ quidem verba,*

ba, planè sonant oppositum, ipsam nempe pœnitentiam, vim suam & efficaciam omnem, ab ipso Christi sumere sanguine, nec aliud esse, quàm medium & organum, per quod Christus, sanguinis sui precium nobis applicet? An Dominus vim suam accipit à seruo, per quem pretium soluit? Et tamen similia vaniloquia, horrendas vocant blasphemias?

1372. Horrenda prorsus & Satanica impudentia docere Pontificios, Christum solummodo satisfacisse pro culpa originali, pro actualibus satisfaciendum esse pœnitentiæ operibus, *Luther. de Missa priuat. ann. 34.* Quid est ergo, quod ex vno ore calidum efflans & frigidum, in quadam ait epistola, quam præfixit Disputationi Philippi de partibus pœnitentiæ, propositione 10. *Rectè fateri Papiſtas, Satisfactiones non mereri remissionem culpe?* Quod idem repetit Philippus in Apolog. in artic. de Confess. & Satisfaction. Nec per Somnium quidem vlli vnquam in mentem venit, satisfactione culpam deleri lethalem, aut pœnam æternam, Infr. de Satisfact.

1373. Fidem non antecedere pœnitentiam, sed partem eius esse substantialem: At si fidem docent Pontificij antecedere, & sine fide nullam esse veram pœnitentiam, quomodo passim clamant, Pontificios fidem prorsus non solum à pœnitentia, sed ab omnibus excludere Sacramentis? An, qui fidem præexigunt, fidem excludunt?

1374. Fidem partem esse pœnitentiæ. Cum præter fidem, scriptura exigat pœnitentiam, vnde ait Marci 1. *Pœnitentiam agite, & credite Euangelio*, aliud ergò credere, aliud pœnitere; aliud fides, aliud est pœnitentia. Quin ipsa pœnitentia pars est fidei, ex qua nascitur & procedit; Nemo quippè pœnitet, nisi fidem habeat.

1375. Rursum. Fidem volunt esse partem pœnitentiæ, & tamen solam sine operibus pœnitentiæ iustificare fidem, similiter docent. An pars iustificat, totum non iustificat? An pars vna, sine alia?

1376. Omnia opera, quæ post iustificationem fiunt, inter partes

Millesexcenti Errores,

partes annumeranda esse pœnitentiæ. *Luth. disput. 3. cont. Anonimos, prop. 9.* An ergo charitatis opera, pœnitentiæ sunt opera? an idem diligere, & dilectionis aliarumq; virtutum opera exercere, quod pœnitere? Nisi fortè dum diligis, diligere te pœniteat.

1377. Mortificationem & viuificationem, quæ refranationes quædam sunt vitiosarum affectionum, & pium studium operandi, quæ in reconciliatione inchoantur, ac deinde tota vita perficiuntur, esse partes pœnitentiæ. *Calvinus libr. 3. cap. 3. §. 8. Beza.* At scriptura pœnitentiam, viam ad iustificationem, non fructum vel partem appellat, idè enim pœnitentiam iubet, vt à peccatis liberemur, remissionemq; & iustificationem consequamur, Etenim absq; pœnitentia iustificatur nemo, *Securis enim ad radicem posita est, omnis arbor, quæ non facit fructus bonos, excidetur, & in ignem mittetur.* Matth. Luc. 3. 13. 24. Actor. 2. 3. 5. 8. Ezech. 18. Ierem. 31.

2. Cor. 7.

1378. Terrorem à lege incussum, quem Lutherani mortificationem vocant & contritionem, esse partem pœnitentiæ. *Luth.* At quomodo pars est, vel esse potest, cum ex terroribus pœnitentia nascatur? *Pœnitentia enim stabilis* (inquit Apostolus) *ex tristitia.* Et iterum: *Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam,* vbi timorem à pœnitentia distinguit, eumq; antecedere, non subsequi pœnitentiam dicit.

Heb. 6. cap. 8.

1379. Concilium Trident. idè negare, fidem & terrores conscientia, partes esse pœnitentiæ, quod contritionem statuat promereri Dei misericordiam. *Kemnit.* Cum planè definiat oppositum, ait enim, *Idè gratis iustificari hominem per Christum, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, eam mereantur.*

1380. Pontificios idè negare, fidem esse partem pœnitentiæ, vt non solam fidem, sed etiam pœnitentiam, remissionem & iustificationem conferre insinuent. *Quin* (vt paulò antè) *eo ipso quia pars constituitur, sine toto, vel aliis partibus, effectum habere nequit.* Et planè fides sine pœnitentia, inanis est & inutilis. *Iac. 2.*

1381

1381. Concilium Trid. definire, Per, & Propter operapœnitentiæ, non gratis, peccatorum remissionem donari. *Kemnit.* Atqui Concilium dispositiones duntaxat, non merita esse definit, quamuis ipsum quoque operum meritum, gratis detur.

1382. Pontificios docere, eos qui rectè pœnitentiam agunt, mereri remissionem peccatorum, & vnumquemq; propriis meritis sine fide & merito Christi, peccata sua delere. *Luth. in artic. Smalcald. in 3. part. tit. de fals. pœnit.* Miror hominem: Cum hoc ipsum dogma, tanquam Pelagianum Pontificij damnent?

1383. Pontificios docere, emereri homines remissionem peccatorum, iusta & plena contritione, qua nunquam defungi possit peccator, Proinde neminem esse, qui ex doctrina illorum vel non sit ad desperationem adactus, vel simulationem pro vero dolore Deo non opposuerit. *Caluini grandiloquentia.* Neminem esse, inquit, qui non desperauerit, cum neminem protulerit, vel proferat, qui desperarit? Et in cuius cor introspexit, qui in omnium cordibus simulatum, & non verum dolorem conspexit? Cor contritum & humiliatum, inquit scriptura, Deus non despiciet: An ergo nemo contritus? *Psal. 50*

1384. Pontificios singulari peruersitate docere, remissionem & reconciliationem fieri, cum in gratiam Dei per Christum in baptismo recipimur, post baptismum verò surgendum esse satisfactionibus. *Caluin. loc. cit.* At tantum abest, vt reconciliationem satisfactionibus tribuant Pontificij, vt nec satisfacere quidem plenè, nisi reconciliatum doceant.

1385. Insignem esse contumeliam in Christum, remissionem pœnitentiæ tribuere operibus. *Beza.* Atqui aliud non tribuunt, quàm quod scriptura illis tribuit.

1386. Scripturam sacram, nusquam remissionem peccatorum tribuere pœnitentiæ. Atqui hæc sunt scripturæ verba. *Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cælorum. Matth. 24. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; in remissionem peccatorum, Act. 2. Pœnitentiam age, si fortè tibi remittatur, Act. 8. Fidelis est Deus, vt si confiteamur peccata, remittat. 1. Ioan. 1. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul*

Millesexcenti Errores,

nes simul peribitis, Luc. 13. Si gens ista pœnitentiam egerit, vita viuet, Ezechiel. 18. Gaudium est in cœlis super vno peccatore pœnitentiam agente Luc. 15.

1387. Pontificios, pro consequenda remissione & reconciliatione ablegare homines ad propria opera, vt illa accedente verbo absolutionis, fiant & sint Sacramentum, hoc est, causa efficiens & conferens gratiam remissionis & recôciliationis cum Deo, Kemnit. Cum is ipse, Contritionem & Confessionem, non humana vel liberi arbitrij, sed spiritus sancti vocet opera: Sed neq; Causam efficientem iustificationis, sed dispositionem tantum iustificationis Pontificij opera faciunt.

1388. Erroneum esse, quòd quidam docent, per gratiam liberari nos à culpa, per pœnitentiam à pœna, per gloriam à miseria. Heshus, loc. cit. Quid cauilletur, nescio; per pœnitentiam liberatos fuisse Niniuitas à pœna, quam alioquin erant subituri, quis nescit? Ion. 3.

1389. Erroneum esse, quòd Aquinas scribit, Pœnitentiam non esse regenerationem, sicut est Baptismus, sed sanationem duntaxat mentis. At si regeneratio est pœnitentia, baptismus ergò aliud non erit quàm pœnitentia, quomodo ergò scriptura ait, pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisq; vestrum, in remissionem peccatorum? An idem sunt baptizari & pœnitere?

Act. 2.

1390. Pœnitentiam non esse aliud, quàm baptisimi, semel in remissionem peccatorum omnium percepti, efficacem rememorationem. Atqui hac ratione faciliùs longè foret pœnitere, quàm baptizari, quid enim faciliùs quàm beneficij accepti recordari? supra de Baptismo.

Ioan. 20.

1391. Peccata non remitti, sed remissa per fidem in Mediatorem verbo Euangelij denunciari. At Christus non dixit, Quibus denunciaueritis peccata esse remissa, sed, quibus remiseritis, remittentur eis.

1392. Ministerium Euangelij, non differre à potestate remittendi peccata: Cum ipsum Euangelium Pœnitentiam præscribat

scribat & exigat? Nisi enim pœnitentiam agas, quamuis Euan- *Luc. 13.*
gelium annuncies & audias, remissionem non consequeris.
Luce 13.

1393. Lutheranos, veram & Catholicam doctrinam trade-
rede pœnitentia. Eam putà, quam in Nouatianis vniuersa sem-
per damnauit & damnat Ecclesia Catholica.

1394. Iniuriam fieri Lutheranis & Calvinianis, quasi idem
cum Nouatianis, damnatis quondam hæreticis, sentiant in arti-
culo de pœnitentia. Atqui docent, quod docuerunt illi, nullam
nempè à Ministris & sacerdotibus, sed à Deo sòlo petendam &
expectandam esse peccatorum remissionem.

1395. Nouatianos in hoc differre à Lutheranis, quòd ij o-
mnem spem veniæ & reconciliationis cum Deo negarent, vel in
dubio ponerent, etiamsi pœnitentiam quis ageret, Lutheranos
id minimè docere. *Kemnit.* Cum ex illis ipsis verbis, quæ de No-
uatiis ex hyft. Tripart. refert Kemnitius, oppositum planè *lib. 1. Cap. 13.*
sumatur. Sic enim habetur pag. 206. *Meritò improbatur Acesii No-
uatiis dictum, inuitandos quidem lapsos ad pœnitentiam, spem tamen re-
missionis non à Sacerdotibus, sed soli modo à Deo expectandam, qui solus
potestatem habet remittendi peccata.* An hoc est omnem spem negare
cum Deo? vel in dubio ponere?

1396. B. Ambrosium, sic Nouatianorum describere hære-
sim, *Pœnitentibus post lapsum, non simpliciter præcidendam esse omnem
spem veniæ, sed sacerdotes nec posse, nec debere ministerio Euangelij re-
missionem peccatorum annunciare, vel absolutionem impartiri.* Hæc *Kem.*
At locum, quo id Ambrosius scripserit, non allegat Kemnitius,
cum de tali externa remissionis annunciatione, nec somniauerit
quidem Ambrosius, & expressè scribat, *Nouatianos negasse, sacer-* *lib. 1. de pœnit.*
dotes vllam habere remittendi peccata potestatem. *cap. 2.*

1397. Pontificios docere, pœnientes debere dubitare,

Millesexcenti Errores,

de remissione peccatorum. *Luth. disp. 4. cont. Anonim.* Calumnia: Si enim dubitarent, pœnitentiam utiq; nec suaderent aliis, nec facerent ipsi? quis enim tam est stolidus, qui nisi peccata sibi per pœnitentiam remitti, seq; cum Deo reconciliari, spe, fideq; firma crederet, pœnitentiam vel quicquam boni faceret?

1398. Non debere quenquam, dum pœnitet, vlllo modo dubitare, de remissione peccatorum: An ergo credere debemus, peccata nobis esse remissa, antequam sunt remissa? neq; enim in cœlo peccata remittuntur, nisi remittantur prius in terra. *Matth. 16. Ioan. 20.*

1399. Nunquam piam conscientiam quietam fore, si dubitare debeat de remissione & reconciliatione. Non solum inquietus, sed stultus planè & Ethnicus foret, qui dubitaret, quis enim (vt dictum est) pœnitentiam agat, vel omninò in Deum credat, nisi peccata sibi per fidem & pœnitentiam remitti similiter firmiterq; credat? Atqui non idem est credere sibi remitti, & certò scire, sibi remissa esse peccata, illud scimus & credimus omnes, hoc scit nemo, Idem enim qui dixit, *Qui pœnitentiam egerit vitam viuet*, dixit quoq; *Qui pœnitentiam non egerit, peribit*, iam verò non omnes, vt debent, pœnitentiam agunt, qui verò, vt debet, pœnitentiam non egerit, non modo de remissione & reconciliatione non est certus, sed certus est, quod ei nec peccatum remittatur, nec gratia conferatur, nec in gratiâ recipiatur, dicente scriptura, *Facite fructus dignos pœnitentia. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est*, quam nemo facit, nisi mandata eius obseruat, *Qui enim dicit se nosse Deum, & mandata eius non obseruat, hic mendax est, inquit Ioannes. 1. Ioan. 1. 2.*

1400. Vnumquemq; de sua certum esse pœnitentia, proinde etiam de remissione & reconciliatione sua. *Luth. Pharisaica*

Berm. de Bapte. an. 35. Idem exo. pressius Tom. 2. in epistola ad duos parochos de Anabaptismo. ca præsumptio? Et quidem verba Lutheri sunt: *Vt baptismus certus sit in nobis, non fundat eum Deus supra fidem nostram, cum illa possit incerta & falsa esse, sed supra verbum & institutionem suam.* Idem habet Calvin. lib. 3. *Inst. cap. 2. §. 10.* Si ergo fides incerta, quomodo pœnitentia certa? 1401.

1401. Hominem pœnitentem, certum esse de remissione & iustificatione propter fidem, quæ sola iustificat. At si ipsa (vt iam dictum est) fides incerta est, ve esse potest, quomodo remissio & iustificatio certa est, ve esse potest? sed & fidem solam sine pœnitentia, iustificare falsum est, scriptum est enim: *Pœnitentiam agite, & credite Euangelio. Marci. 1.* Et, *Si omnem fidem habuero, charitatem autem non habeam, nihil sum. 1. Cor. 4.*

1402. Pontificios docere, semel tantum pœnitentiam esse vtilem: Falsum: Semper enim & vbiq; vtilem & salutarem esse docent, Nec eam toties susciperent, si semel tantum vtilem esse crederent.

1403. Pontificios docere, pœnitentiam non esse reiterandam, idq; Gratianum, & ipsum docere Lombardum. Cum de solenni duntaxat loquantur pœnitentia: quotidie enim fieri & iterari apud Pontificios pœnitentiam, quis non videt?

*Vi. de pœ. d. 2. 3^o
Et in 4. sc. d. 14*

1404. Pontificios multum se hac quæstione torquere, An vnus peccati pœnitentia Deo placeat, vbi in aliis durat obstinatio: Item, An pœnæ diuinitus inflictæ, ad satisfactiones valeant. Item, An sapius iterari possit pro grauioribus peccatis pœnitentia. *Caluin. lib. 3. cap. 4.* At tantum abest, quod sese torqueant, vel dubitent, vt eos qui dubitant, planè rideant, clara sunt enim omnia, decisa & definita.

*Concil. Trid.
Sess. 14. c. 13.*

1405. Pontificios plura exigere à pœnitente, quàm ipse præstare possit pœnitens, longè enim vires excedere humanas, tantam habere mentis contritionem, qua maior cogitari non possit, omnium item peccatorum confessionem, atq; perfectam de omnibus satisfactionem. *Beza in sua Confes. cap. 7.* At non exigunt, nisi quod vires per gratiam adiutæ, suppetunt: Sed & omnia facit, qui, quæ facere potest, facit; Quod quis non potest, Deus supplet.

1406. Pontificios, suis pœnitentiis, non tam esse medicos, quàm crudelissimos animarum tortores & carnifices. *Bez. loc. cit.* An ergò alia medicina adhibenda ægris, quàm morbus exigit? An non idem, vt sanet, fauciat Deus & Medicus? An crudelis, qui

Millesexcenti Errores,

qui ut corpus seruet & animam, venam secat & tibiam?
1407. Errare Pontificios, quod tres sint pœnitentiæ partes, Contritio cordis, Confessio oris, & Satisfactio operis. An ergò sine vlla Contritione, & peccati confessione & detestatione, vera pœnitentia?

Luth. Tom. 3.
in Psal. 51.

De Contritione.

1408. **P**ontificios maiorem à pœnitentibus contritionem exigere, quàm possint habere. *Omnes passim.* Cum vulgata omnium Lutheranorum sit doctrina, Deum plura præcipere quàm homo possit præstare, atque adeò mandata Dei seruatu esse impossibilia. Pontificij verò (vt supr. & infr.) plus non exigunt, quàm Deum velle, & hominem Deo adiutum posse, nõrunt.

1409. Contritionem non esse partem pœnitentiæ. An ergò sine dolore mentis pœnitentia? Et quid aliud est pœnitere, quàm de peccato commisso dolere? si enim non pœnitet deliquisse & offendisse, quomodo pœnitet?

1410. Contritionem, quæ ad pœnitentiam requiritur, non esse aliud, quàm pauorem ex minis legis conceptum. *Lutherani rigidi in Colloq. Aldenburg.* Cum vera contritio ex pauore nascatur, non sequatur, quia enim minas & pœnas metuimus, ideò pœnitemus, vt eas euitemus.

1411. Contritionem non esse actionem, sed passionem à Deo in homine, non ab ipso prouenientem homine, sic enim habet Colloquium citat. *Contritio non est opus nostrum, nos passiu tantum sumus, nos nihil agimus, sed patimur, ipse Deus nos conterit, non ipsi nos, &c.* At si Dei est opus, ab homine cur exigitur? cur omisum punitur? An iustus Deus, si exigat & puniat, quod præstare homo non potest?

1412. Et si Contritio non sit actiue ab homine, liberè tamen recipi ab homine; At si liberum est homini recipere, in potestate ergò

ergò eius est, quodcumque velit contritionem habere vel nò habere, voluntas ergo ad minus & dispositio ab homine erit.

1413. Contritionem non pertinere ad Euangelium, sed ad legem. *Kemnit.* At si ad Euangelium non pertinet, quomodo toties, vt pœnitentiam agamus, Euangelium iubet? aut fortè non iubet? quid est ergò, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis?* *Luc. 13.*

1414. Contritionem spoliare hominem, omnibus bonis operibus, replere maledictionibus, fugere Deum, quærere viam & exitum ad desperationem. *Colloq. ciuat.* Sed hæc rigidorum, non eadem est molliorum Lutheranorum opinio, qui contritionem opus vocant bonum, & spiritus sancti. Et mirum, quomodo, qui conteritur & pœnitet, Deum fugiat, & desperet, cum nisi Deum, quem offendendo fugerat, quæreret, & veniam speraret, haud quaquam pœniteret? An Niniuitæ in cinere & cilicio pœnitentiam agendo, spem abiecerunt, viamque & exitum ad desperationem, & non magis ad veniam & reconciliationem quasiuerunt? *Matth. 11. Luc. 10.*

1415. Pontificios atque adeò ipsum Concilium Trident. docere, hominem viribus liberi arbitrij, absq; vlla præueniente Dei gratia, posse conteri & pœnitere. *Kemnit.* Calumnia: Neque enim vel Concilium, vel vllus aliquando id docuit Pontificius, patet ex ipso Concil. Sess. 6. cap. 5. & 14. Sess. cap. 4. Artic. 2. Parisiens. & 7. Louan.

1416. Contritionem non exigere detestationem peccati præteriti, sed tantum euitationem futuri, ita vt pœnitentia aliud non sit, quàm sine detestatione veteris, noua vita. *Lutherus Sermone de pœnitentia, & Epistola ad Staupitium.* Sed huic vaniloquio non tam obloquitur scriptura, quàm ipse *Kemnitius.* Quid enim illud? *Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper?* Item. *Recogitabo tibi omnes annos in amaritudine animæ meæ.* Item. *Fili peccasti, non adiicias vltra, sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur.* Item. *Age pœnitentiam, si fortè remittatur tibi cogitatio cordis tui.* *Psal. 50. Esai. 38. Eccl. 21. Actor. 8. Ioel 2. Ioan. 3.*

Neque

Millesexcenti Errores,

Neq; vlllo modo intelligi potest, quomodo quis pœnitentiam agat de peccatis, nisi pœniteat de peccatis commissis?

1417. Non esse necessarium ad contritionem, propositum bene viuendi, sed esse fructum duntaxat pœnitentiæ. At quis pœnitere, & non magis pœnitentiam ridere dicat, qui non æquè futura detestatur peccata, ac præterita, vel præsentia? Et quis iniuriam illatam ignoscat, nisi nullam se posthac illaturum promittat?

Iosel 2.
Marc. 9.
Philip. 4.

1418. Contritionem perfectam, esse impossibilem. At si est impossibilis, cur eam Deus exigit? aut fortè non exigit, vt ad eum ex toto corde conuertamur? An ad impossibilia cogit? An credenti omnia non sunt possibilia? an non omnia possumus, in eo qui nos confortat?

1419. Pontificios Contritione sua homines adigere ad desperationem. Planè oppositum: Si quis enim desperare veller, is spe impetrandæ gratiæ & reconciliationis non pœniteret. Pœnitentia autem desperantium & desperatorum est via, Impij siquidem desperant, non pœnitentes.

1420. Pontificios exigere tantam contritionem, quæ sit æqualis iræ & offensæ diuinæ. At si dolor quiuis, suo non adæquat modo offensam, verus non est dolor. Contritio verò alia non requiritur, nisi quam Deus præcipit, & natura suppetit, qualem verè pœnitentes habuisse leguntur, Luc. 7. Matth. 26. 2. Reg. 23. Hier. 24.

1421. Pontificios exigere summum dolorem intensiue. Nō omnium ea est sententia, sufficere enim summum appretiatuè alij docent, & ad summum intensiue hortantur.

Serm. de Coma
Domin.

1422. Pontificios exigere certum gradum intensiōnis, & temporis ad contritionem. Cum solus eum videatur exigere Scotus. In contraria autem sententia sunt ceteri, iuxta illud Cypriani: *Non quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec hora extremas, nec vitæ enormitas, si pura fuerit voluptatum mutatio, excludit à venia.* Quæ quidem sententia magis congruit scripturis, Esai. 30. Ezech. 18.

1422. Pontificios exigere tot actus doloris, quot actus præcesserunt peccati: Tutius hoc & salutare, non autem absolute necessarium esse docent, dolorem enim de omnibus simul conceptum sufficere, de singulis nihilominus singulariter dolere, salubre consilium esse docent. Si enim pœnitentia de peccatis bona est & salutaris, de singulis mala esse non poterit.

1423. Contritionem non esse causam remissionis peccati. At si nullo prorsus respectu causa est, dicant, quam ob causam Niniuitis Deus peccata remisit & pœnam, Tyro autem & Sydoni, Sodomæ & Gomorræ non remisit, nec pepercerit? Id (ni fallor) causa quoquo modo dicitur, propter quod effectus quomodocunq; sequitur.

1424. Pontificios docere, Contritionem esse causam remissionis peccatorum de condigno. At tantum abest, hoc quod doceant, ut nec de congruo quidem mereri, sed dispositionem solummodo pleriq; asserant. *Capitol. in 2. d. 40. q. 1. ubi.*

1425. Contritionem ex timore conceptam, non modo non esse utilem, sed facere hominem hypocritam. *Luth. serm. de pœn.* Cum (ut supr.) pauorem de peccatis conceptum, partem esse velint pœnitentiæ. Et timor etiam seruilis, initium sit sapientiæ. *Aug. tract. 9. in epist. Ioan. Basil. & alij.*

1426. Contritionem non esse actum voluntatis, cum proposito confitendi peccata. Atqui esse de necessitate, infra dicemus.

1427. Vanum esse, in Contritione duplicem distinguere dolorem, voluntarium & sensualem. *Heshus. An ergo Contritio sine villo dolore?*

1428. Non esse discrimen inter Attritionem & Contritionem. *Heshus. in suis 600. errorib.* Apud Heshusium putà, non autem apud alios, qui, nisi re ipsa esset, in verbis distinctionem non posuissent.

1429. Pontificios docere, Attritionem impiorum & fide prorsus carentium, virtute clauium fieri contritionem. *Luth. de Capt. Babyl.* Cum absq; fide nec attritionem quidem agnoscant.

Millesexcenti Errores,

1430. Pontificios docere, contritionem non esse opus Spiritus sancti, sed liberi arbitrij. *Hesh. loc. cit. ex Taper.* Sed verba Taperi, vt ab ipso citantur *Heshusio*, hæc sunt: *Potest etiam homo, post mortale peccatum admissum, per liberum arbitrium verè penitere, Deo tamen ipsum præueniente & ostendente peccatum.* Vide an excludat à tali actu Deum, vel Spiritum sanctum? Vera ergo contritio non est sine gratia.

1431. Pontificios docere, non nisi de venialibus peccatis agendam esse pœnitentiam. Cum potius contrarium doceant, sola mortalia per pœnitentiam, venialia verò per orationem deleri Dominicam, ac quæuis alia pietatis exercitia.

1432. Erroneum esse, quod Scotus docet, Hominem non teneri ad contritionem de venialibus. *Heshus.* Verisimile scilicet est, *Heshusium* de venialibus conteri, qui nec de mortalibus contritionem necessariam autumat?

1433. Erroneum esse, quod Aquinas docet, Hominem ignorare, & nunquam certum esse, quando satis sit contritus. *Heshusius.* Cum Apostolus de seipso loquens, dicat, *Nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc iustificatus sum.* Et alibi: *Nescit homo, an odio dignus sit vel amore.* Item. *Si iustificare me voluero, condemnabit me os meum, & si etiam simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Et fit plerumque, vt qui seipso statuunt iustissimos, certissimosq; de contritione & iustitia sua, nec hanc nec illam habeant, iuxta illud, *Sunt quidam impij, qui adeò securi sunt, ac si opera habeant iustorum.*

1434. Erroneum esse, quod Taperus docet, contritionem non esse terrorem conscientia, propter gehennæ perpetuum supplicium. *Heshus.* Atqui verus non est dolor, qui ex timore, sed qui prouenit ex amore; detestandum est enim peccatum & metuendum, non propter malum pœnæ, sed culpæ. Hinc illud *Poëtæ,* *Oderunt peccare mali formidme pœnæ, Oderunt peccare boni virtutis amore.* Quamuis ergo nec puniret, nec omnino resciret Deus peccatum, adhuc non esset committendum, & de commisso pœnitendum, quia in se malum.

1. Cor. 4.
Eccl. 9.
Iob. 9.

Eccl. 8.

DE

De Confessione.

1435. **C**onfessionem Sacramentalem, non esse à Christo institutam. *Hesbus. & alij.* A quo ergo alio? An nisi à Deo esset, sibi ipsis homines tantum iugum imposuissent? An Christus non dixit, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis?* Ioan. vlt.

1436. Neminem ad confessionem teneri, maximè verò Parochos & Capellanos, & qui nōrunt, quid sit peccatum. *Luth. Tom. 2. in epist. ad Francoforden.* Et idem oppositum, Tom. 5. super Ionam. Infr.

1437. Ad remissionem peccatorum, non opus esse confessione: An ergò rectè peccata, quæ ignorantur à ministro remittuntur? An tu remissurus es illatam tibi, quam tamen manifestare nolit, qui intulit, iniuriam?

1438. Ad Absolutionem, non necessariam esse confessionem. At nisi confitearis peccata, iam quæ soluere, quæue ligare debeat, ignorabit Minister Christi. An soluet liganda? ligabit soluenda?

1439. Ligare & soluere peccata, non esse aliud, quàm soluta vel ligata pœnitentibus denunciare, non re ipsa soluere. Implicatio: An enim ligantur ligata? soluanturq; soluta? An quando Christus ad suos, vt Lazarum soluerent, dixit discipulos, nō soluerunt? sed solutum declararunt & denunciarunt? *Ioan. 11.*

1440. Christum non ad solos Apostolos, sed ad omnes in genere dixisse circumstantes, vt Lazarum soluerent? *Calvin lib. 3. Instit. cap. 4.* Hoc in primis falsum ostendit Augustinus Serm. 8. & 44. de verb. Apost. & Greg. homil. 26. in Euang. Deinde quid ad quæstionem? An non verè fuit solutus à quocunq; fuerit solutus? Denique, Neminem aiunt à Ministro solui, sed solutum ostendi & declarari, sue pronunciarum. Cum Christus expressis testetur verbis, Neminem solui in cœlis, nisi prius soluat in terris? potius ergò in cœlis, quàm in terris ostenditur homo solutus. *Ioan. 20.*

Millesexcenti Errores,

1441. Nullibi esse scriptum, vt confiteamur peccata nostra. Cum hæc sint verba scripturæ: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est Deus, vt remittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate.* Item. *Qui abscondit scelera sua non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Item. *Confitemini alterutrum peccata.* Item. *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Hinc. *Multi credentium veniebant, annunciantes actus suos, Act. 19.* Et neminem quietam habere posse conscientiam, nisi peccata sua confiteatur, ipse, secum in omnibus pugnans, scribit Lutherus super Ionam, Tom. 5.

1. Ioan. 1.
Prou. 13.
Iacob. 5.
Psal. 31.
Act. 19.

1442. Supradicta & similia scripturæ loca, de Confessione intelligi, quæ fit Deo. Quasi Confessio quæ fit Ministro Dei, non fiat ipsi Deo? Aut quisquam sit, vel vnquam aliquando fuerit, sceleratus, qui Deo confessus non fuerit? Aut Deus tua te ipso non melius nōrit peccata? *Nemo sibi dicat (inquit Augustin.) occultè ago penitentiam, apud Deum ago, nouit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago, Ergo sine causa dictum est, Quæ solueritis in terra, soluta erunt in caelo? ergo sine causa sunt datae clauæ Ecclesiæ Dei? frustra-mus Euangelium Dei, frustramus verba Christi, promittimus nobis, quod ille negat? Item. Sunt quidam, qui sufficere sibi ad salutem autu-ent, si soli Deo, cui nihil occultum est, quem nullius latet conscientia, sua confiteantur crimina, nolunt enim aut erubescunt, aut dedignantur ostendere se Sacerdotibus, quos tamen inter lepram & lepram discernere per legislatorem constituit Dominus: sed nolo, vt ipsa decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri coram Domini Vicario, tabescens præ rubore, vel ceruicosus præ indignatione, Nam ipsius humiliter subeundum est iudicium, quem Dominus non sibi dedignatur Vicarium, & c.*

In lib. 50. Bomil.
49. Idem 41.
47.

Lib. 2. de uisitat.
versum. cap. 4. §

1443. Clauium potestatem non esse iudiciariam, sed tantum ministerialem. Quasi iudiciaria ista potestas, non eadem sit Vicaria & Ministerialis? An Iudex, minister non est Dei?

1444. Ministros Christi non esse iudices ad discernendum causas, sed tantum ad prædicandum Euangelium. Quid est ergo quod scriptura mandans ait: *Si difficile & ambiguum iudicium*

Deut. 17.

apud

apud te esse perspexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad Sacerdotes Levitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, queres q̄ ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcumq; dixerint, &c. Itaq; si non sunt in causis secularibus, maximè criminalibus, sunt tamen iudices in causis Ecclesiasticis & spiritualibus.

1445. Cognitionem lepræ in veteri testamento, quæ ad solos pertinebat Sacerdotes, non fuisse figuram cognitionis peccatorum in nouo testamento. *Caluin. loco cit.* Atqui fuisse Patres tradunt, Hieron. in cap. 16. Matth. Chrysof. libr. 3. de Sacerdot. August. de ver. & fals. pœnit. & loc. superius allegato, Cur enim alioquin ad sacerdotes, & non magis leprosi missi fuissent ad Medicos? Luc. 5. 17.

1446. Apostolos fuisse missos ad prædicandum & baptizandum non ad hominum confessiones excipiendas. Quasi ipsa eorum prædicatio aliud fuerit, quàm vt pœnitentiam agerent, in remissionem peccatorum? Vnde perentibus quibusdam quid agerent, pœnitentiam, inquit, facite, & baptizetur vnusquisq; vestrum in remissionem peccatorum. Idem prædicabat Ioannes in deserto. Matth. Luc. 3. Euangelium ergò aliud non est, quàm annunciatio eorum, quæ Christus à nobis, vt faciamus, postulat, inter quæ præcipuum est pœnitentia.

Act. 2.
Matth. Luc. 3.

1447. Claves non esse datas Ministris, vt iis tanquàm iudiciaria potestate peccata relaxent, sed vt annuncièt hominib⁹ gratis peccata remitti per & propter Christum. Atqui Claves non dantur, nisi vt referata obserentur, & obserata referentur, etenim si per sese fores paterent, frustra claves adhiberentur. Vnde August. *Nemo dicat, occultè pœnitentiam ago, apud Deum ago: Ergo sinè causa dictum est, quæ solueritis in terra soluta erunt in Cælo, ergo sinè causa data sunt claves Ecclesiæ? Frustramus Euangelium? frustramus verba Christi?*

Loco citato.

1448. Peccata non remitti iudiciaria potestate, sed gratis per & propter Christi meritum & sanguinem. Quasi aliud prædicent,

Millessexcenti Errores,

dicent, aut aliud faciant Pontificij, dum confitentes peccata sua absoluunt, quàm gratis beneficium remissionis propter Christum impendere? Neq; enim propter hominum merita remittunt hominibus peccata, sed gratis propter Christum, & meritum sanguinis.

Num. 51

1449. Non esse necessarium peccata confiteri in specie. Cum id in lege veteri, in qua clauium potestas fuit nulla, id lege cautum & vltatum fuerit, sic enim legimus, *Vir siue Mulier cum fecerit ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatũ Domini atq; deliquerint, confitebuntur peccatum suum. Item in Leuit. agere iubentur penitentiam pro peccato.*

Cap. 19.

1450. Nusquàm in sacris legi literis, quod homines peccata sua confessi fuerint in specie. Atqui locus allegatus aliud ostendit, cui addo locum ex Actibus Apostolicis, vbi credentes, actus suos confessi perhibentur: actus verò suos confiteri, non est in genere confiteri, sed in specie. Sed & Apostolis, ministerium reconciliationis à Deo creditum fuit, quod sine offensæ cognitione adimplere non poterant. 2. Corint. 5.

2. Corint. 5.

1451. Apostolos & sacerdotes legatione quidem fungi pro Christo, vt peccata hominibus vel remittant vel retineant, non tamen cum cognitione singulorum peccatorum. Verùm Apostolus non tantum scribit, Deum dedisse ipsis ministerium reconciliationis, sed etiã posuisse in ipsis verbũ reconciliationis, atq; ideo ipsos pro Christo legatione fungĩ. At quis vnquam legatus hostes domini sui, sine cognitione causarum & offensarũ, reconciliare potuit? Num qui mittitur legatus ad reconciliandum hostes cum domino suo, sine potestate cognoscendi actus hostium mittitur?

1452. Confessionem auricularem de singulis peccatis, non esse iuris diuini. At si humani esset duntaxat, legem tam grauem sibi ipsis homines nunquàm imposuissent, vel imponi permisissent.

1453. Confessionem singulorum peccatorum, olim, maxime

mè apud Græcos, non fuisse in usu. Ait enim Gratian. *Quidam so-* *De Penitentia;*
lūmodo Deo peccata confiteri debere dicunt, vt Græci. At Verba illa (vt *d. 1. in Canonis*
 Græci) ex margine in textum irrepsisse, non est dubium, cum nec *Quidam.*
 apud ipsum Theodorum vnde Canon desumptus est, nec in Con-
 cil. Calcedon. capite 33. ex quo ipsum quoq; Theodorus sum-
 pfit, nec deniq; apud Magistrum, nec in Concilio Florentin. in *in 4. sent. d. 17.*
 quo ipsi cum Latinis vniti sunt Græci, reperiantur. Quid autem
 Græci sentiant de Confessione, ex Censura patet Confessionis
 Augustanæ Jeremiæ Patriarchæ Constantinopol. cap. 11. & ex
 Concil. Laodic. can. 2. & can. 102. 6. Synod.

1454. Confessionem singulorum peccatorum, cum singu-
 lis eorum circumstantiis, nullo apud veteres fuisse in usu. Atquæ
 antè annos 800. apud nostrates fuisse in usu, patet ex Conci-
 lio Vvormatiensi, capite 25. Moguntinensi, sub Rabano, ca-
 pite 26.

1455. Confessionem quæ soli fit Deo, in totum negligi à
 Pontificiis. *Kemnit. in it. suæ Censuræ, in cap. 6. Concilij Triden.* Quæ
 calumniæ? Cum omnis Confessio Deo fiat, licet coram Ministro
 Dei fiat? Et nullus sit tam impius, qui Deo sua non confiteatur
 peccata, omnium secretorum conscio?

1456. Pontificios, non pauca Veterum testimonia de Con-
 fessione generali, quæ Deo fit, detorquere ad priuatam & auri-
 cularem confessionem, *Kemnit.* Cum manifestissimum sit, ipsos
 è contra multa referre generalia, tacere verò particularia. Gra-
 tia exempli, Allegat hoc loco Kemnitius homiliam priorem O-
 rigenis in Psal. 32. in qua, eam quæ fit Deo, commendat Confes-
 sionem, posterioris verò, in qua commendatur ea quæ fit homini,
 nec meminit quidem.

1457. Confessionem priuatam, non esse quidem necessari-
 am ad remissionem peccatorum, vtilem tamen & retinendam,
 propter consolationem & instructionem rudium. *Kemnitius.*
Herbrandus. Atqui Vtilitas non negatur, necessitas verò
 ex

Millesexcenti Errores,

Act. 8.

Joan. 8.

ex scripturis probatur, dicente Apostolo, *penitentiam age, si forte remittatur tibi iniquitas.* Item, *fidelis Deus, ut si confiteamur peccata, remittat nobis.* Nec propter instructionem populi sed propter remissionem peccatorum populi instituta est Absolutio: Instructio verò, quæ fit in Confessione priuata, fieri non minus potest in ipsa Concione publica, vel instructione domestica.

1458. Instructionem de peccatis, quibus vnus cuiusq; grauaturs conscientia, non posse fieri in Concione publica. Cnm peccata singula nec confiteantur quidem, nec confitenda esse doceant. *Luth. in artic. ad Concil. Mantuan. Et tom. 7. de anticristo.*

1459. Confessionem priuatam, habere institutionem & originem ab Innocent. 3. & Concil. Lateran. sub ipso celebrato, prout ipsorum testentur pontificiorum annales. *Caluin. lib. 3. instit. cap. 4. § 7.* Cum tempus duntaxat, quo faciendâ sit Confessio, præscribant, quod vtiq; non præscripserunt, nisi in vsu & necessaria fuisset? An Zepherynus quoque Eucharistiam instituit, quia perceptionis eius tempus præfixit & præscripsit? Annales verò illi, si Platinam excipias, qui?

1460. Præceptum illud pontificiorum, *ut omnes vtriusq; sexus homines semel in anno confiteantur & communent,* ad solos spectare hermaphroditas, ad neminem qui sit mas vel fœmina. *Caluit. & alij multi inanes Calumniatores.* An enim quando scriptura ait, *Non erit apud te sterilis vtriusq; sexus,* de hermaphroditis loquitur? Item, *Et erant ibi tria millia spectantes vtriusq; sexus,* An tria millia erant hermaphroditarum? nullus mas? nulla fœmina? Et mares ergo & fœminas præceptum obstringit.

1461. Luculentis probari veterum testimoniis, Confessionem priuatam olim non fuisse in vsu; *Caluin. Kemnit.* Scilicet, Ad veterum prouocant tempora, à quibus eorum damnata sunt dogmata: quos etiam si proferas, aliud responsum, quàm omnes ad vnum errasse, non referes. Sed nec ex tota antiquitate alium produxit Calvinus, præter Sozomenum.

1462. Sozomenum scribere, Olim non nisi vnum presbyterum audiendis populi Confessionibus fuisse præpositum, quæ non sit

Deut. 7.
Iudic. 16.

non sit verifimile, fingulorum fingula excepiffe peccata. *Caluin* supra. Cum vt ex aliis constat historiis Ecclesiasticis, is, publicus fuerit duntaxat Pœnitentiarius, publicis, non priuatis præfectus confessionibus.

14.61. Nectarium Episcopum Constantinopol. abrogasse Confessionem auricularem. *Idem Caluin. ex Sozomen.* At si abrogauit, ante ipsum ergò fuit? quomodo ergo (vt supra) asserunt, nullam ante Innocent. 3. statam fuisse de Confessione priuata legem? An Nectarius, Innocentium non præcessit? Iam verò nec priuatam quidem, sed publicam tantum, quæ propter hæresim Nouatianorum illo tempore priuatæ fuerat addita, abrogasse, ex eodem Sozom. & aliis constat.

14.62. Priuatam Confessionem à Nectario fuisse abrogatam, occasione cuiusdam mulierculæ, quæ cum Diacono in Confessione peccarat. *Idem.* Cum nulli vnquam Diaconi, in hanc vsq; horam audiendis Confessionibus præfuerint? Historiæ verò referunt, Mulierculam illam occasione publicæ Confessionis & Pœnitentiæ sibi iniunctæ (ob quam diutius in templo moram trahere solebat) peccati occasionem sumpsisse, ortoq; ex eo scâdalo, publicas illas Confessiones & pœnitentias fuisse abrogatas. Alioquin nec cum Confessario suo (vt multi calumniantur) peccarat mulier, sed cum Diacono; Nec si peccasset, Confessionem aliorum maximè virorum præiudicare quicquam potuisset. An enim statim & omnium exurendæ sunt domus, quia in vna earum illicitum quidpiam perpetratur? An omnes ex orbe pellendi Apostoli, quia vnus ex illis Christum prodidit? An omnes profligandi Diaconi, quia vnus fœdâ cum mulieribus libidinem permisit Nicolaus? Acto. 6. Apoc. 2. Scandala ergo, non ipsa tollenda sunt Sacramenta.

14.63. B. Chrysostomum, Nectarij in Cathedra Constantinopolitana successorem, approbasse Nectarij de abrogata confessione priuata legem. At si ille non abrogauit, hic abrogatam quomodò approbavit? publicam ergò, ne inuicem homines calumniandi, exprobrandiq; & erubescendi occasionem haberent,

V V

non

Millesexcenti Errores,

non illam, quæ sub sigillo fit Ministro Dei, abrogârunt.

P[salm. 138.]

1464. Singulorum peccatorum supputationem, cognitionem & enumerationem esse impossibilem, dicente scriptura, *Delicta quis intelligit? Calvin. loc. cit. sect. 17. 18.* Cum eodem loco contendat, non satis esse, Deo generatim confiteri, nisi quantum in nobis est singula confiteamur. Si autem quantum in nobis est, Deo singula confiteri possumus & debemus, quomodo eorum cognitio vel enumeratio est impossibilis?

1465. Ab initio mundi, hominibus peccata fuisse dimissa absq; confessione auriculari. *Calvin. loc. cit.* Num ergò nec baptismo utendum? quandoquidem sine hoc quoq; peccatum fuit dimissum? An alium quàm Christum arguunt institutorem?

1466. Christum absq; vlla confessione hominibus peccata dimississe. *Calvin. loc. cit.* Atqui minimè sequitur, Dominus id fecit, ergò seruus & Minister id facere similiter potest? si enim id seruum facere vellet, legem ei non præscriberet? Deinde Christus id facere potuit, quia sine confessione peccata singula cognovit, quorum cognitionem Minister, nisi ab ipso peccatore, habere non potest.

1467. Multis post Christum sæculis, nullo fuisse Confessionem auricularem in usu. *Calvin. loc. cit.* Cum eodem cap. 5. 7. fateatur, usum eius esse antiquissimum. Vid. Bellarm.

Exec. 18.
Ierem. 31.
Hebr. 10.

1468. Scripturam nusquam exigere à peccatore Confessionem auricularem, sed contritionem duntaxat cordis, quacumq; enim hora peccator ingemuerit, Deum reperit propitium. *Calvin.* Quasi quisquam de peccatis rectè pœniteat & ingemiscat, nisi, quæ ad remissionem instituta sunt, media adhibeat? An etiam sine baptismo (quando haberi non potest) si ingemiscat peccator, peccati veniam impetrat? Itaq; secundum subiectam (ut dicitur) scripturæ intelligendæ sunt materiam.

lib. 10. Confess.
cap. 3.

1469. B. Augustinum non agnouisse Confessionem priuatam, ait enim. *Quid mihi cum hominibus, ut audiant Confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos, Curiosum genus hominum ad cognoscendum vitam alienam, desidiosum ad corrigendum suam.* Cum de

de Confessione peccatorum loquatur antè baptismum, & per baptismum remissorum, in eum finem instituta, vt inde cognoscatur & laudetur misericordia Dei.

1470. B. Ambrosium ignorasse Confessionem Pontificiam, scribit enim, Petrum sinè Confessione & Absolutione fuisse absolutum. *Brent.* At vnde sequitur, Christus absoluit Petrum, ergò Petrus similiter potest absolvere Paulum? An, vt dictum est, seruus potest, quod Dominus potest? *lib. 10. in Luc. cap. 96.*

1471. Lutheranos iustas ob causas Confessionem priuatam abrogasse. *Kemnit.* Vt ipsis, non vt aliis videtur; veruntamen non idè lex non obligat, quia Petrus legem abrogat, aut non seruat. *Audiamus tamen causas.*

1472. Prima & secunda causa, Cur Confessionem priuatam abrogarint Lutherani (inquit Kemnitius) est, quòd nec mandatum, nec promissionem, nec vllum in sacris literis habeat exemplum. Atqui habere ostendimus. Adde, nequaquam sibi ipsis homines legem tam grauem imposuissent, nisi mandatum eius reperissent.

1473. Tertia causa, cur exploserint Lutherani Confessionem, est, (subiicit Kemnitius) quòd transformat Euangelium in legem, & statuit remissionem dependere ab enumeratione peccatorum. An ergò Euangelium non exigit pœnitentiam? An vera pœnitentia non exigit Confessionem? An dirigi potest, qui scelera sua abscondit? *Prou. 28.*

1474. Quarta causa, Cur nuntium Confessioni remiserint, est, quòd gratuita remissioni substituatur meritum enumerationis & satisfactionis, confessionem meritoriam esse ad culpæ remissionem, pœnæ diminutionem, paradisi apertionem, & salutis fiduciam, scholastici tradunt. At omnia ista suo, non quem fingunt alii, sensu, vera esse, diximus.

1475. Quinta causa, Cur Confessio Pontificia explodenda sit, est, *Quoniam* (inquit Kemnitius) *conscientiam adducit in dubitationem & desperationem, scrupulosa illa enumeratione videns se non omnia delicta posse colligere, nunquam acquiescit, dubitatio verò*
V V 2 *extin-*

Millesexcenti Errores,

Matth. 7.
Luc. 13.
Prou. 13.
Eccl. 9.
1. Petr. 4.
Luc. 17.
Ecc. 8.

In Psal. 66 uid.
eund. de uera &
fals. poenis. cap.
19. 20 De uisit.
infirm. cap. 4. 5

extinguit fidem. Arctam & angustam esse viam, quæ ducit ad vitam, & iustum vix saluari, ac semper hominem debere esse pauidum, cum spe misericordiæ, scripturæ passim testantur. Vnde ipse Dominus, *Cum omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus, fecimus quod debuimus.* Mirum autem, si quisquam propter confessionem, & non magis propter scelerum suorum commissionem, desperet? Hinc Augustinus, *Tristis esto, antequam confitearis, confessus exulta, iam sanaberis, non confitentis conscientia saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat, &c. Times confiteri, qui non confitendo esse non potes occultus, damnaberis tacitus, qui possis liberari confessus.*

1476. Sexta causa (inquit Kemnit.) cur iugum Confessionis Lutherani excusserint, est, quia impossibilis est peccatorum enumeratio. At si Pontificiis est possibilis, quomodo Lutheranis est impossibilis? Et Lutherus quidem, antequam factus esset Lutheranus, peccata sua scire & enumerare potuit, quomodo eorum ipsum tam de repente obliuio cepit? An scire sua creditor non potest debita? an non notat quotidie singula? an idem debitori dimittit, quia oblitum se esse, nec recordari præterdit? *Vtinam nos ipsos iudicaremus, inquit Apostolus, 1. Cor. 11.*

1477. Pontificios docere, omnia omnino peccata esse confitenda & enumeranda, cum delictorum suorum numerum intelligere possit nemo, & infinita propemodum sint, in quæ quotidie impingunt homines, etiam iusti, scienter vel ignoranter. Non id docent Pontificij; sufficere enim docent, ea enumerare, quæ post diligentem conscientia discussionem, occurrunt, & quorum se quisque reum coram Deo inuenit & cognoscit: De occultis verò & alienis, cum Propheta clamant, *Ab occultis meis munda me Dñe, & ab alienis parce seruo tuo.* Mirum autem, Lutheranos peccata sua non posse cognoscere, quæ scienter possunt committere & facile, si vellét, possent annotare? An enim sua non diligentissimè credita norant & debita? An quid debeant creditori suo notare possunt, quid autem debeant Creatori suo notare non possunt? At certè tametsi suorum debitor obliuiscatur debitorum, Creditor tamen & Creator non obliuiscetur.

Psal. 18.

1478. Confessionem singulorum peccatorum non quidem necessariam, esse tamen utilem, & multas ob causas retinendam. *Kemnit.* Utilem esse aiunt & retinendam, cum tamen non retineant. Et propter easdem omninò causas, propter quas ipsi utilem, Pontificij deprehendunt esse necessariam. *Audiamus verò utilitatis causas.*

1479. Prima causa, propter quam & utilem esse volunt Confessionem & retinendam, Instructio est (inquit Kemn.) rudis populi. At obsecro, quomodo instruetur de peccatis suis populus, si peccata Ministrum cælet? An de peccatis in genere, sufficienter non instruimur pro Concione?

1480. Secunda causa, Confessionem (inquit Kemn.) suademus retinere, propter remedia contra peccata committenda. At nã ineptit, qui peccatori remedium præscribit, si peccatum nescit? An avaro præscribes, ne nimium gulæ indulgeat, qui se ipsum præ auaritia fame necat? Et iterum guloso, ne nimium inedia sese emaceret? mendico contra prodigalitatem, prodigo remedia præscribes contra tenacitatem? An Medicus signorato morbo, rectè medicinam præscribit ægroto? Itaque nulli rectè remedium contra futura peccata præscribes, nisi peccata præterita quibus assueuerit, cognoscas.

1481. Tertia causa. Utilis est (inquiunt) & retinenda Confessio, propter consilium capiendum in rebus dubiis. At quod consilium cupis, si peccatum non confiteris? quod dabis, si nescis?

1482. Quarta causa. Ad consolationem percipiendam ex absolutione priuata. At si ex vnius peccati absolutione & confessione consolatio qualiscunque percipitur, quantò maior ex confessione omnium & singulorum? Vid. Aug. loc. cit.

1483. Quinta causa. Ad discernendum; An qui absolutionem petit priuatã, verè pœnitens sit, nec ne. An hoc ex confessione singulorum non discernitur? An eum verè pœnitentem dixeris, qui quod vult peccatum aperit, cætera occultit? de vno conteritur, de altero gloriatur?

Millesexcenti Errores,

1484. Propter causas enumeratas vtile esse, retinere confessionem priuatā. Cum ex omnes utilitates, non minus ex confessione publica, quàm ex confessione prouenire possint priuata.

1485. Liberum esse cuiuis relinquendum, quæ velit peccata confiteri. *Luth. in artic. ad Concil. Mantu. & Tom. 7. de reuelat. Antichristi.* At si cuiuis quod vult liberum esse debet, non rectè populus humanis vel diuinis oneratur præceptis & legibus: liberum sanè nulli est, quod agat pœnitentiam, dicente scriptura: *Luc. 13. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Nec absolutionem ferid quærit, qui peccatum Ministro Dei non patefacit: Peccatū sanè in confessione tacere, non est confiteri, sed confessionem ridere.

1486. Nimis onerosum & permolestum esse homini, peccata sua alteri detegere, ea maximè quæ occulta sunt. At certè ægrotus sanari non potest, nisi morbum, quomocunque occultum, medico aperiat. Verus autem pœnitens Deum magis respicit, omnia scientem & patefacientem, quàm Ministrum omnia ignorantem & occultantem: Nec rectè erubescit manifestare, qui non erubescit ea perpetrare. Vid. Aug. supr. *Et ipsum inconstantem Lutherum, Tom. 5. in Ion.*

1487. Neminem teneri ad manifestationem eorum, quæ cupit esse occulta. Atqui apud Deum nec occultum, nec peccatum vllum manet impunitum. Æger autem, etsi non cogatur ad manifestationem sui morbi, si tamen sanari velit, omnino tenetur. Hinc Sapiens, Qui abscondit scelera sua, non dirigitur. *Prou. 13.*

1488. Periculum esse, ne minister peccata in confessione manifestata, aliis manifestet, Atqui sicut pœnitens manifestare, ita peccata excipiens, ea tenetur occultare, non enim vt manifestet, sed vt ea absoluat, obliuiscatur & occultet, ei manifestantur, quæ si etiam manifestare vellet, cum probare non possit, nō modo fidem nemo impertit, sed sui ipsius infamiam & grauem pœnam incurrit.

1489. Deum omnia nosse, & absoluere. Atqui Deus non solum omnia mala nouit, sed etiam punit, atque ea vel maximè prodit,

prodit, quæ homo quàm occultissimè tegit, iuxta illud, *Tu fecisti absconditè, ego autem faciam verbum istud, in conspectu omnis Israel, in conspectu Solis huius.* 2. Reg. 12.

De Satisfactione.

1490. **S**atisfactionem non pertinere ad pœnitentiam. At nec ratio quidem capit, veram sine satisfactione esse pœnitentiam? quisquis enim quoquo modo debitum contraxit, offendit, vel damnum intulit, ad satisfactionem quoquo modo tenetur.

1491. Pontificios docere, hominem posse & debere plenè & perfectè satisfacere de omnibus peccatis, quoad pœnam & culpam de condigno. Inauditum apud Pontificios, qui vltra pœnam temporalem, satisfactionem non extendunt.

1492. Nullam remanere pœnam, culpa remissa. Atqui remanere, vel vitæ huius probant afflictiones, quæ utiq; aliud non sunt, quàm originalis per baptismum culpæ remissæ, pœnæ: Probant id exempla scripturarum plurima: Dauid translata culpa, morte filij punitur & populi: peccârat populus adoratione vituli, condonatur culpa, non condonatur pœna: Deliquerat in Fratrem Soror Moylis Maria, soluitur culpa, punitur lepra, sperabat Moyses nulla satisfactione placatum iri Deum, orat intensè, audit responsum, *Nonnè si Pater eius spuisset in faciem eius, oportebat saltem septem diebus rubore suffundi*: Ipse Moyses, mitissimus mortaliū, amicissimus Deo, propter peccatum utiq; condonatum, moritur in deserto, terram promissionis non ingreditur. Manet ergò pœna aliqualis, culpa remissa.

1493. Eos quos scriptura cõmemorat, remisso peccato fuisse punitos, non quod peccârint, sed ne peccarēt amplius, fuisse punitos. *Cal. lib. 3. c. 4. s. 31. 35.* Cum scriptura ipsam causam subiiciat, *Quia nempe blasphemare fecisti nomen Domini, Quia populum numerasti, quia Uriam occidisti, & uxorem eius tulisti, &c.*

1494. Iterum: Non puniri homines ppter peccata cõmissa, sed ppter cõmittenda, ne peccent amplius. Cum Apost. scribat,

2. Reg. 12. 24.

Exod. 32.

Num. 12.

Num. 20.

2. Reg. 12. 24.

1. Cor. 11.

Millesexcenti Errores,

multos ob indignam Eucharistiæ sumptionem morte fuisse punitos? An hi quoque ne peccarent amplius, sed emendarent sese, ac bonis operibus vacarent, fuerunt puniti?

1494. Pœnastemporales non posse redimi, operibus bonis. *Caluin. lib. 3. cap. 4. §. 30.* Quid est ergo, quod scriptura ait, *Peccata tua elemosynis redime.*? *Elemosyna ab omni peccato, etiam à morteliberat?* Quid est, quod Deus promittit, se non inflicturum pœnam, quam infligere alioquin constituerat, si pœnitentiam agamus? An non placatus est satisfactione & pœnitentia Niniuitarum? quomodo non placatur, si placatur? *Ion. ult. 2. Para. 7. Ezech. 18. Ierem. 13.*

*Dav. 4.
Iob. 4.*

1495. Non placere, nec satisfacere Deo, opera sine mandato suo sponte suscepta. *Kenn. Philip. in Loc. de Satisfact.* At quomodo, mandato ieiunavit Dauid? humi cubavit? cilicium induit? panem sicut cinerem manducauit? potum cum fletu miscuit? Quo mandato Iob in cinere & fauilla pœnitentiam egit? Achab cilicium ad carnem suam induit? Rex Niniue cum omni populo sacco sese operuit? Petrus amare flevit? Magdalena pedes lacrymis lauit & terxit? unguento corpus Domini perfudit? Ioseph syndone inuoluit? An hi omnes operibus sponte susceptis placuerunt Deo? imò placauerunt Deum?

*2. Paralip. 12.
Psal. 103.
Iob ult.
2. Reg. 21.
Ioan. ult.
Matth. 28.
Luc. 7.
Luc. 23.*

1496. Opera, quæ à Sacerdotibus iniunguntur, non esse satisfactoria. Et cur? An quia derogant satisfactioni Christi, & hominum sunt opera? Atqui sicut passiones hominum, non præiudicant passioni Christi, sed eam potius illustrent & manifestant, ita neque satisfactiones satisfactioni.

1497. Orationes ad satisfaciendum pro peccatis, à Sacerdotibus impositas, nec satisfacere, nec placere Deo. *Kennitius.* Quomodo ergo ad orationem Manassis placatus est DEVS? *2. Paral. 33.*

1498. Ieiunium nil conferre ad peccati deletionem. Atqui tota re clamat scriptura, & exempla plurima, Dauidis, Niniuitarum, &c. *2. Reg. 12. Ion. 2. Ioel. 2.*

1499. Castigationes & afflictiones corporis voluntarias, hypo-

hypocriticam esse satisfactionem. Hypocrita ergo fuit Apostolus, cum dixit, *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo?* &c. Hypocrita fuit Præcursor Domini, qui sine ullo Domini sui mandato asperrimè vixit in eremo? Hypocritæ fuerunt omnes reges & Prophetæ? supra.

1. Cor. 9.
Mar. Luc.
Ioan. 1.
Math. 3e

1500. Superfluam esse & infructuosam eleemosynarum largitionem ad deletionem peccati. *Kemnit.* Cum scriptum sit, *sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna resilit peccato. Date eleemosynam, & ecce omnia munda vobis. Peccata tua eleemosynis redime. Eleemosyna ab omni peccato, etiam à morte liberat.*

Eccle. 3o
Dan. 4o
Iob. 4o
Tob. 3o

1501. Placere quidem opera Deo in genere, ut per se bona, & ab ipso mandata, non tamen ut à Pontificiis præstantur & mandantur, videlicet certam eleemosynarum summam, certos ieiuniorum dies, certum precum numerum, &c. Hæc enim omnia opera, esse electitia, hominum inuenta & placita, nullius apud Deum vel pretij, vel ponderis. *Kemnit.* Cum opus quodlibet bonum, ex circumstantia bona, non malum, sed reddatur melius: Et si quod opus Deo placet, quomodo reperitum sæpius displicebit? An Oratio Dominica semel recitata Deo placet, sæpius repetita displicet? An eandem orationem ter non repetiuit Christus? Math. 26.

1502. Nihil legi apud Veteres de Pontificia satisfactione. *Luth. in Assert. art. 5. Philip. in Apolog. de Confessi. & satisfactio.* Cum hæc sint verba Caluini, libr. 3. Instit. capite 4. §. 38. *parum me mouent, quæ in Veterum scriptis passim occurrunt de satisfactione, video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter omnes ferè, quorum libri extant, aut hac in parte lapsos esse, aut nimis asperè & durè locutos esse.* Idem Centuriat: Centur. 3. capite 4. 10. Centur. 4. cap. 4. 10. Centur. 5. cap. 4. 10. An ergo nihil extat apud Veteres?

1503. Nec Lombardum quidem more aliorum scholasticorum de satisfactione disputare. *Philip.* Cum ipse Lombardus postquam multa de satisfactione disseruisset, eamq; ex scripturis & Patribus probasset, rem totam his verbis concludat: *Ad agendam penitentiam non sufficit, mores in melius commutare, & à malis*

In 4. d. 16o

XX

factia

Millesexcenti Errores,

factis recedere, nisi de his quæ facta sunt satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis &c. quæ verba sunt Augustini, homi. 50.

1504. Vereres quando loquuntur de satisfactionibus, de illis loqui, quæ fiebant Ecclesiæ ab excommunicatis, non quæ fiebant Deo, cui satisfacere nemo potest, atq; ita (inquit Cal.) dicebantur non Deo, sed Ecclesiæ satisfacere, quod etiam his ipsis verbis expressum est, ab August. in Enchyridio cap. 65. Cum hæc ipsa verba Augustini deprauarit, qui nusquam scripsit, Non debere satisfieri Deo, hæc enim Caluini, non Augustini sunt verba, qui non solum Ecclesiæ, sed & Deo satisfieri debere multis locis scribit. Vnde in eodem Enchyry. cap. 70. *per eleemosynas de peccatis præteritis propitiandus est Deus.* Et cap. 71. *De quotidianis, leuibusq; peccatis, quotidiana oratio fidelium satisfacit*; Et loc. supra cit.

1505. Pontificios scriptores, maximè Lombardum, centones potius, ex insulsis monachorum delirijs, quàm patrum testimonia pro satisfactione adducere. Cal. loc. cit. Ad eò videlicet, delirat Caluino Lombardus, vir omnium iudicio in Patribus verfatissimus: An præstat monachorum centones, quàm hæreticorum adducere centurias,

1506. Patrum sententias de satisfactione, esse hyperbolicas. Kem. Verisimile (scilicet) Patres in refutandis hæreticorum erroribus, exponendisq; sacris literis, & declarandis articulis fidei, hyperbolicis vti verbis & locutionibus, tametsi nec hyperbolicæ quidem locutiones rem negent, sed affirmant.

Execb. 18.
Jerem. 31.

1507. Deum non exigere vllas ab homine peccato remisso pœnas temporarias, dicente Propheta, *si impius ab impietate sua se se auerterit, non nocebit ei impietas, &c.* At certè (inquit Lutherus,) noceat, si pœnam exigeret. Sed si pœnam exigit nullam, quis ergo eam exegit à Moysè? Dauide? & aliis supr. cit.? Igitur Locus ille & similes, de pœna intelliguntur æterna, non temporaria.

1508. Christum sine vlla satisfactione homines à peccatis absoluisse. Luth. Sic fecit, quia sic voluit & potuit, Ministro potestatem talem non dedit.

1509.

1509. Non extare, nec iota quidem in scripturis, septem annis pro peccato esse vno satisfaciendum. *Luth. in Assert. omnium artic. ann. 21. & in assert. artic. 5.* Cum talis pœna Dauidi pro peccato fuerit proposita? 2. Reg. 24.

1510. Pontificios nullo scripturæ testimonio, differentibus peccatis, differentes statuere pœnas & satisfactiones, cum nec peccata quidem differant. *Luth. Quid est ergo, quod ait scriptura, Deut. 25. Apoc. 18. Sap. 11. Sap. 6. promensura delicti erit plagarum modus: Quantum se glorificauit, & in delictis vixit, tantum date ei tormentum & luctum, per quæ quis peccat, per hæc torquetur, potentes potenter tormenta patientur?*

1511. Non legi quicquam apud Veteres de septenis, Quadragenis, & similibus inuentis & figmentis monachorum & Episcoporum. *Luth. Cum non modo legantur apud Burcard. & Iuonem, sed etiam in Conc. 1. Nicen. & Ancyran. ante annos 1270.*

1512. Pontificias satisfactiones à gentilium manare satisfactionibus Phenice, Oreste, Peleo, Antilocho, Adrasto & similibus. *Philip. in loc. de satisfact. Quasi fabulosum non sit, quod de fabulis illis nugantur? An fortè Job, Daniel, Dauid, Achab, Ezechias, Manasses, Niniuite, &c. fabulosi fuerunt aut pagani homines? Quod si gentes quoq; veram sine satisfactione pœnitentiam nullam agnoscunt, nonne ex hoc ipso satisfactionem non tam diuini, quàm naturalis esse iuris, demonstratur. Denique si gentes id faciunt, quantò magis id facere debent Christiani, quorum iustitia abundare debet plus, quàm scribarum & Phariseorū.*

1513. Satisfactiones apud veteres Exempli tantum & disciplinæ causa fuisse introductas. *Philip. Quasi verò Reges exempli causa, & non magis vt Deum placarent, cilitiis sese & saccis induerint? humi cubauerint? ieiunauerint? Nec Christus elemosynas exempli causa, sed in occulto dare iubet, quas pater remuneret. 2. Paral. 23. Ion. 2. Matth. 6.*

1514. Satisfactiones apud veteres aliud non fuisse, quàm publicam excommunicationem, & externas pœnas pro excommunicatione iniunctas. *Philip. cit. Cum (vt paulo antè) veteres cū Pontificis sensisse, sed errasse, ac hyperbolicis vsos fuisse locutionibus, vltimò fateantur. Nec vel in Canonibus, crebrius, vel in patribus, & Concil.*

Millesexcenti Errores,

reperiatur quicquam commendatius, quàm doctrina de Operibus & Satisfactionibus? Neque vllus ex iis, quos supra commemorauimus, propter excommunicationem aliquam, pœnitentiam iniunctam susceperit?

1515. Deum non immittere pœnas hominibus, vt iis pro peccatis satisfaciunt, sed vt puniantur & patiantur. Atqui satisfactio non exigua est satisfactio: Deus verò peccata hominum punit, quia seipsos (vt inquit Apostolus) non puniunt, *Si enim nosmetipsos iudicemus, non iudicemur à Domino.* Et eas ipsas pœnas, quas Deus immittit, operibus nostris, quoquo modo minuere & mitigare, imò penitus nonnunquam auertere possumus, Num. 25. Exod. 32. | Ionæ 3.

1. Cor. 11.

1516. Pontificios fingere & defendere satisfactiones & pœnas temporales, ad stabiliendum suum Purgatorium. Cum si etiam Purgatorium esset nullum, satisfactionem tamen pro peccatis vel ipsa natura exigeret. Vtinam verò, quod fingunt, Purgatorium figmentum esset? De quo suo loco.

1517. Nullas esse pœnas temporarias, cum nullum sit Purgatorium. Atqui esse, vel ipsa, eaq; sola, probant pœnæ temporariae, quas negare non possumus. Supr.

1518. Doctrinam Scholasticorum de Satisfactionibus, non esse aliud quàm vanum deliramentum monachorum. *Philip.* Atqui peccatorum tormenta, haud sunt deliramenta: Sed neque omnes Patres & Scholastici deliri fuerunt Monachi, qui si etiam fuissent, præstaret (nî fallor) deliros, quàm sequi monachos hæreticos & apostatas.

1519. Doctrinam de Satisfactionibus, obscurare totam legem & doctrinam Euangelij, quasi aliqua sint opera supererogatoria, quæ lege non sint præcepta, & idè satisfactoria. *Philip.* Atqui iuxta Euangelium & legem, vtrumque dicendum & verum est, & opera multa esse supererogatoria, voluntaria, & nulla lege præcepta, & eadem, si in gratia Dei fiant, meritoria & satisfactoria, cum promissionem habeant vitæ æternæ, & remissionis pœnæ, iuxta illud, *Si gens ista egerit pœnitentiam, agam et ego,* Jerem. 31. Ezech. 18. Zach. 1.

Matth. 19.
1. Cor. 7.

1520.

1520. Pontificios docere, homines compensare satisfactio-
nibus suis pœnam & mortem æternam. *Philip. citat.* Cum eod.
tit. & loco de Satisfact. sic loquatur: *Monachi hęc definiunt satisfac-*
tiones, opera non debita, quibus volunt redimi pœnas purgatorij, aut certe
alias pœnas temporales, sic enim docent: DEVM, cum sit misericors, re-
mittere culpam, sed cum sit iustus & vindex, mutare pœnam æternam in
temporalem Purgatorij: deinde addunt, partem pœnarum remitti potestate
clauium, partem redimendam esse Satisfactoribus. Vide si doceant,
culpam remitti, vel pœnam æternam?

1521. Errare Pontificios, quod docent, Opera satisfactoria
esse indebita, cum includantur in præcepto illo generali, *Facite Luc. 13*
pœnitentiam. Et: *Nisi pœnitentiam egeritis. Philip.* Sed siue sint
debita, siue indebita, ad causam & controuersiam sufficit, quod
sunt satisfactoria: multa tamen esse opera voluntaria, nulla le-
ge præcepta, nemo (nisi expertus Euāgelij) ignorat vel negat. *Sup.*

1522. Pontificios docere, pœnitentem si recuset satisfacti-
onem non peccare, pœnas tamen illas, pro quibus satisfacere pos-
set & deberet, in Purgatorio soluturum. *Philip.* Cum si Scotum
eiusq; excipias sequaces, oppositum alij teneant plexiq; *In 4. d. 16. 18.*

1523. Facere dignos fructus pœnitentiæ, quibus pro pœnis
temporalibus satisfiat, præceptum esse pro hac, non pro altera
vita. *Philip.* Sed demus satisfactioes ad fructus pertinere pœ-
nitentiæ, in alia vita pœnitentiam esse aliqualem, vel ista testan-
tur scripturæ verba, *Pœnitentiam agentes, & præ angustia gementes. Sap. 5.*
Et si etiam satisfactioes essent nullæ, pœnas tamen esse, quibus
peccata luantur, in illa vita, manifestum est ex scriptura, dicente
Christo: *Non exibat inde, donec vltimum soluerit quadrantem.* Vnde *Matth. 5.*
satisfactioes in hac vita, in alia fiunt & sunt satisfactioes, utiq;
grauiores, quàm vitæ huius satisfactioes, si eò referentur.

1523. Ridiculos esse Pontificios, quod docent, homines te-
neri diuino mandato ad satisfaciendum, cum tamen satisfactio-
nes doceant solui, per indulgentias: Num igitur (inquit Phi-
lip.) diuinum soluunt indulgentiæ mandatum, & efficiunt, ne
cogamur facere dignos fructus pœnitentiæ? Delirat Senex: Ec-

Millesexcenti Errores,

Quis enim ad debitum tenetur, si ei condonetur? An aliud est indulgentia, quam pœnæ, pro qua satisfaciendum esset, gratuita condonatio?

1524. Satisfactiones pugnare cum gratuita remissione peccatorum. Cum id ipsum, quod opera nostra satisfactoria sint & meritoria, gratuitum sit Dei donum, sine gratia siquidem opus nullum plenè est meritorium. Quamvis nec culpa, nec pœna, satisfactione nostra, solvatur æterna.

1525. Euangelium habere mandatum de remittendis peccatis gratuito, non de imponendis satisfactionibus, aut peccatis remittendis partim potestate clauium, partim per satisfactiones, partim per indulgentias. *Philip.* Cum iisdem omninò verbis Christi, quibus potestas datur, peccata remittendi, ad pœnas quoq; concedatur ligandi, Ioan. 20.

1526. Pontificios, satisfactiones suas, in frigidis & leuibus obseruationibus ab hominibus excogitatis, constituere. At si Orationes, Eleemosynæ, ieiunia, afflictiones & castigationes corporis, leues sunt caremonia, nimis leues erunt, qui eas negligunt: sin autem graues sunt, vt omnibus omnium temporum visæ sunt hominibus, rursus leues erunt, qui eas leues appellent.

1527. Pontificios docere, etiã opera, quæ fiunt in peccato mortali, esse meritoria & satisfactoria. *Philip.* At qui illi Pontificij? Etsi enim quidam opinentur, ea meritoria vel satisfactoria per subsequentem fieri iustificationem, alij tamen nec hoc quidem solidè affirmari volunt.

1528. Vno subuerti verbo quidquid de satisfactione blaterent Pontificij, dicunt enim (inquit Calvin.) non sufficere penitenti, à præteritis malis abstinere, & mores in melius commutare, nisi de iis, quæ facta sunt, satisfiat Deo, esse autem multa adminicula quibus peccata redimamus, lachrymas, ieiunia, oblationes, charitatis officia, &c. talibus mendaciis oppono gratuitam peccatorum remissionem, quam nihil in scripturis clariùs prædicatur. Blaterare (inquiunt) Pontificios, quod omnes cum Pontificiis docere Patres vltro concedunt, eaque ipsa

ipsa verba Augustini sint & Ambrosij: Sic enim habet Augustinus? *Non sufficit, mores in melius commutare, nisi etiam de iis, quæ facta sunt, satisfiat Deo, per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis: Et Ambrosius. Lib. 50. homil. cap. 17. Habemus plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus, pecuniam babes, redime peccatum tuum, &c. En qui Caluino blaterones sint & mendaces, vt alios interim taceamus, quos omnes verbo vno, vt sibi videtur, subuertit, nisi quod meliori iudicio, magis credendum sit omnibus de vno, quam vni de omnibus.*

1529. Prorsus gratuitam esse peccatorum remissionem. At si prorsus est gratuita, fallit ergo scriptura, quæ nos eleemosynis peccata redimere iubet. Item cum dicit, *Pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisq; in remissionem peccatorum. Item: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Item. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Gratuita ergo remissio dicitur, quia sine gratia non prouenit, Ea enim ipsa media per quæ peccata remittuntur, dona sunt Dei gratuita.

1530. Pontificios, singulari peruersitate docere, gratuitam remissionem & reconciliationem semel duntaxat fieri per baptismum, post baptismum verò resurgendum esse per satisfactiones. *Caluin. loc. cit.* Caluminiæ sunt, vt sæpè: quamuis suo quoque sensu per pœnitentiam resurgendum esse, scriptura non obscure tradat. *Ephes. 5.*

1531. Pontificios docere, sanguinem Christi nemini prodelle, nisi per Clauis Ecclesiæ dispensetur. *Caluin. loc. cit.* Quid sibi velit vel somniet, nescio: Meritum sanè Christi nemini prodelle, nisi ad id mediis vtatur Christi, ipse testatur Christus, cum ait, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Quæcunq; ligaueritis in terra, erunt ligata in caelis.* Vides remissionem non applicari, nisi per clauis?

1532. Immane esse, quod Pontificij docent, Deum operibus nostris esse propitiandum, cum ipse sit propiciatio pro peccatis. *1. Ioan. 2. 4.* *Caluin.* Inane dicere volebat: Quis enim remissionem culpæ vel pœnæ aeternæ, operibus tribuit humanis?

Millesexcenti Errores,

1533. Derogari satisfactioni Christi, quicquid humanis ar-
rogatur satisfactionib⁹. Cum nihil magis illam cōmendat & il-
lultret? quod enim opera hominum quoquo modo satisfaciunt,
ex operibus & satisfactione habent Christi. Supr.

1534. Non posse hominem vnquam habere conscientiam
quietam, quamdiu cogitat de satisfactionibus, cum nunquam
sciat, vel scire possit, an, & quando satisfecerit, & remissionem
acceperit. *Caluin.* Sed nā nimis ipse inquietus, & de quiete illo-
rum, qui nunquam fuerunt inquieti, sollicitus? An non eo ipso,
quia culpa per absolutionem remissa, satisfactio pro pœna re-
missi peccati, imponitur, homo de remissione culpæ certificatur?
De Certitudine verò iustitiæ, alibi?

1535. Totam vitam, imò centum vitas non sufficere homi-
ni, vt vel de vno peccato satisficiat perfectè, atq; ita necesse esse,
de satisfactione, remissione & salute desperare. *Caluin.* Despera-
ti hominis vox: quis enim desperauit vnquam? an Christus de-
sperationis media, & non magis præscripsit remedia? An, si impos-
sibilis esset, dignos fructus pœnitentiæ Christus exigeret?

Matth. Luc. 3.

1536. Ridiculos esse Pontificios, quòd venialia quoridia-
naq; peccata, quotidianis doceat deleri satisfactionibus, quan-
do quidem priusquam de vno satisficiant, plura alia commit-
tant, *Iustus siquidem septies peccat in die.* Cum ibid. addatur: *Si sep-
ties in die peccauerit frater tuus, septies dimitte illi.* Quasi verò
pro peccato quolibet leuissimo & momentaneo, dies requiratur
& annus ad satisfaciendum. Cum eadem facilitate qua commit-
tuntur, per obuia charitatis & orationis media compensentur.
Hinc *August.* *De quotidianis breuibus & leuibus peccatis, sine quibus
hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit.* An ita leuis
& breuis est in orando *Caluinus* cum suis ministris, vt nec ora-
tionem quidem dominicam toties, quoties peccat, recitare pos-
sit? Aut fortè in ipsa quoq; oratione omniq; actu peccat? at si in
omni actu peccat, ex Deo ergò esse non potest, *Qui enim ex Deo
est, inquit Apostolus, non peccat, quia semen Dei manet in illo, qui au-
tem peccat, ex Diabolo est.* 1. Ioan. 2.

*Matth. 18.
Luc. 17.*

1537. Hominem in omni opere peccare, proinde nullo posse pro peccato satisfacere. *Caluin. Luth.* Si Antecedens est verum, Consequens erit necessarium: Si autem verum illud sit, verum non erit, quod scriptura dicit, *Virgo si nupserit, non peccat: Neq; hic, neq; parentes eius peccauerunt: Qui ex Deo est, non peccat, &c.*

1. Cor. 7.

Ioan. 9.

1. Ioan. 20.

1538. Adeo verum esse, omnium hominum opera esse peccata, ut ipse etiam homo substantialiter sit peccatum. *Illyric. cum suis Substantiaris.* De se puto suisq; loquitur, non de aliis. Itaque quomodo scriptura ait, *Et vidit Deus cuncta qua fecerat, & erant valde bona,* excipiendus erit Illyricus, qui non solum non est bonum, sed ipsissimum malum, quare condonandum ei, si pro malo non satisfaciatur, aliena satisfactione & indulgentiis homo desperatus iuuandus est.

Gen. 8.

1539. Contumeliosum esse in Deum, asserere, quod vllam remissa culpa poenam reseruet & exigat, cum pari passu se agere testetur cum impio, si se auertat ab impietate sua, & cum iusto, si se auertat à iustitia sua: sicut ergo nulla ex parte, iustitiam anteactam remunerat Deus, quando auertitur iustus à iustitia sua, ita nulla ex parte punit peccatum impij, quando se auertit ab impietate sua. Atq; hoc argumentum adeo robustum & Herculeum esse, *Caluinus scribit, vt nec summam caudam tortuosus anguis complicare posthac queat.* Sed ex sunt tortuosi anguis insidiae, vt explicando impoenitentes temporariis poenis, aeternis implicet, & frauiam propinando, amara ingerat, qua fraude primos parentes & peccatores non ad satisfactionem & confessionem, sed inane excusationem impulit peccati. Itaq; scripturae illae, de poena & remuneratione loquuntur aeterna, non temporaria: Nam & iusticias eiusmodi temporalibus remunerat praemiis, & antea acta peccata castigat transitoriis poenis, alioquin si nullam omnino de peccatis sumeret poenam, Cur de Dauide, Moyse aliisque; sumpsit supra. An & Magistratus foret impius, si dimissum à Deo puniret homicidium?

Ierem. 18. 39

Ezech. 18.

1540. Multis illustribus scripturae testimoniis conuincti, nullam Deum peccato remisso exigere poenam, sed proicere post

YX

tergum

Millesexcenti Errores,

tergum omnia peccata nostra, delere instar nubis, demergere in profundum maris, non imputare, tectumq; habere. Talibus enim loquendi formulis (inquit Calvin.) non obscure se ipsum explicat nobis spiritus sanctus, si dociles illi aures accomodaremus, certè enim, si punit Deus, peccata imputat; si vindicat, recordatur; si ad iudicium vocat, tecta non habet; si examinat, post tergum non proiicit in profundum maris; Atq; in hunc modum interpretatur Augustinus claris verbis, si texit Deus peccata, noluit ea advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere, tecta ergo peccata quare dixit? ut non viderentur, quid erat Deum videre peccata, nisi punire? Elegans Rhetorica, inanis Philosophia, vana Theologia; Vinam verò verbis quibuscunq; Deo persuadere possemus, ne peccata puniret; Tot miseriis & calamitatibus, morte deniq; punimur ipsa acerbissima, propter peccatum vix nostrum, sed primorum parentum, nec raro in tertiam & quartam generationem puniuntur filij, propter peccata parentum, & tamen nullam proflus pœnam Deum exigere, Calvinus persuadere conatur? Intelligendæ sunt ergo scripturæ verba, de culpa & pœna æterna, non de transitoria, quam vel ipsa experientia negare negat.

Esaiæ 53.

154.1. Christum luisse pœnas peccatorum nostrorū in Corpore suo, posuit enim Deus iniquitates nostras in illo, & liuore eius (non nostro) sanati sumus. Calvin. Cum ipse qui peccata nostra tulit, clamer, Qui vult sequi post me, abneget semetipsum, tollat Crucem suam & sequatur me, qui non tollit Crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Et Apostolus, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius. Hinc alius Apostolus, Adimpleo ea, quæ defunt passionibus Christi, in corpore meo. Igitur intelligendæ sunt scripturæ non sensu Caluini, sed Christi, & Ecclesiæ suæ: supra

Matth. 16.

Mar. 8.

Luc. 9.

1. Pet. 2.

Coloss. 1.

154.2.

Deum in Veteri lege, nullam satisfaciendi, sed sacrificandi duntaxat legem statuisse pro peccatis, atq; totam in sacrificiis exegisse compensationem, nullam in operibus, Calu. Cū pro paucis duntaxat peccatis instituerit sacrificia, quæ ipsa quoque aliud non erant, quàm opera expiatoria & satisfactoria: pro aliis verò peccatis, ut pro homicidio, adulterio, blasphemia, idola-

Iolatria &c. in Cinere & Cilicio, in luctu, ieiunio & planctu, homines satisfacere voluit: supr. Ioel. 2.

1543. Sacrificia Veteris Testamenti, Dei non hominum censenda esse opera. At si diuina prorsus, nulla parte censenda sunt humana, quomodo à Deo toties reiecta & reprobata? An sua Deus improbat reprobataq; opera? Quin pœnitentiam magis illi placere, quàm sacrificia, scriptura pœssim testatur, Hinc Psal. *Psal. 50.* *Si voluisses sacrificium, dedissem utiq; sacrificiis non delectaberis: sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deo non despiciet.* Et alius Propheta. *Ne offeratis amplius sacrificium frustra, manus enim vestrae plene sunt sanguine, lauamini, mundi estote, auferite malum cogitationum vestrarum, quiescite agere perversè, quare iudicium &c.* *Esai. 1.*

1544. Sacrificia Vetera, nulla virtute offerentis, sed ex semetipso expiisse peccata. *Idem ibid.* Cum scriptura dicat, *Victimas impiorum Deo esse abominabiles, pœnitentiam verò & conuersionem gratissimam.* Hinc Greg. *Iram iudicis placare nescit oblatio, nisi ex munditia placeat offerentis.* Ideò prius respexit Deus ad Abel, quàm ad munera eius, Gen. 4. *Prouerb. 15.* *Luc. 15.* *lib. 22. moral. cap. 12.*

1545. Deum non exigere aliam compensationem pro peccato dimisso, quàm gratiarum actionem. *Caluin.* Cum etiam si omnia fecerimus, & pro omnibus, quantum in nobis est, satisfecerimus, Deo nihilò minus gratiæ sint agenda, à quo totum quod agimus & possumus, gratuito accipimus, ipse enim dat velle & operari. Philip. 1.

1546. Hac nos conditione recipi in gratiam à Deo, vt quidquid eramus pœnarum meriti, remittat culpam ignoscendo. *Calumnia: Sæpè.*

1547. Quoties Dauid, aliiq; Propheta veniam peccatorum deprecantur, pœnam quoq; omnem deprecari. *Caluin.* Quasi ipsa deprecatio non sit satisfactio? Minimè tamen verum esse, quod asserit, vel ex ipso patet Dauidis exemplo, qui cum veniam peccati deprecaretur, pœnam magis sibi irrogari quàm remitti postulat, *Ego (inquit) sum, qui peccaui, & ego iniquè gessi, 2. Reg. 24.*

Millesexcenti Errores,

isti qui oues sunt, quid fecerunt? vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei. An hoc est omnem deprecari poenam? quàm etiam si deprecatus fuisset, haud effugisset.

1548. Ablata culpa, vt causa, non posse remanere poenã, vt effectum, remota enim causa remoueri & effectum. *Caluinus.* An ergo dimissa culpa originali, homines nõ manent mortales? an non manet vulnus cessante ictu? an nulla cicatrix curato vulnere? Itaq; postquàm causa effectum suum produxit, non est necesse, sublata causa, ipsum quoq; remoueri effectum.

Gen. 3.

1549. Stultissimum esse, si quis arbitretur præsentis vitæ calamitates, in peccati noxam esse impositas. *Calum. lococit.* At longè amplius aberrat, quisquis vllas vitæ huius calamitates futuras fuisse credat, si peccatum præcessisset nullum, dicente Deo, *Quia fecisti hoc, maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi, in sudore vultus tui comedes panem tuum.* An iniustus esset Deus, qui nullis præcedentibus & promerentibus peccatis, tot affligeret homines poenis?

1550. Calamitates huius vitæ, non immitti hominibus à Deo in poenam peccati commissi, sed ad emendationem vitæ, virtutisq; exercitium, & quibus commonesiant homines foelicitatem non in hoc quærendam, vel constituendam esse sæculo. *Caluin.* Quomodo ergo tot hominum myriades in deserto prostravit Deus propter peccatum? Et (vt sup.) causam punitionis & poenæ, scriptura peccatum refert commissum, non committendum.

Ioan. 13.

1551. Quicquid tandem dicant, & prædant Pontificij, magis innitendum esse satisfactioni Christi, vnici mediatoris, quàm hominum: At nisi illa præcessisset, hæc necesse quidem posset, quæ tamen non ideò præcessit, vt nulla sequatur, sed vice versa, ideò præcessit, vt nostra sequatur, dicente Christo, *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis; qui enim non tollit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.*

1552. Pontificios satisfactionibus suis, seipsos constituere mediatores & redemptores: Minimè: sed Christi Mediatoris & Redemptoris, p modulo humano imitatores. 1553.

1553. Impossibile esse, hominem satisfacere pro peccatis, sicut Christus satisfecit? At hoc nemo petit, nemo præsumit, nemo imponit, tuam, non Christi crucem iuberis tollere, & in corpore tuo adimplere ea, quæ defunt passionibus Christi. Quàm autem essemus stulti, si pœnas peccatorum tam graues & molestas in nosmetipso statueremus, si non modò nobis non prodesse, nec Deo placerent, sed irritarent & offenderent? *Matth. 19.
Coloss. 1.*

De Absolutione.

1554. **A** pud Pontificios, non esse verã peccatorum absolutionem. Atqui fuit, antequam Calvinus vel Lutherus fuit, An propter ipsos esse desit?

1555. Nec veram fuisse Absolutionem apud Pontificios, antequam Calvinus esset vel Luth. Sed hoc nemo nisi Calvinus dixit & Lutherus: si enim apud illos non fuit, apud quos ergò alios fuit? cum nec alij quidem in mundo noti fuerint Christiani? Et veram quidem Absolutionem se apud Pontificios reperisse, ipse, sibi ipsi in omnibus contrarius, scribit & fatetur Lutherus. Miror autem si habuerunt, quomodo vel quãdo perdidērunt, aut abiecerunt? *In epist. de Anæ
baptismo.*

1556. Veram esse apud Lutheranos & Calvinianos Absolutionem. At si veram ipsi, non ergò veram habent, aut vnquam habuerunt Pontificij, quomodo ergo verum est, quod Lutherus scribit, veram esse apud Pontificios absolutionem, veras clauas, vera Sacramenta? loc. cit. Et quomodo veram habent absolutionem, cum veram non habeant vocationem, sine qua nulla est, nec esse potest, vera absolutio? sed neq; extra Ecclesiam, vlla est peccatorum remissio. Sup. Deniq; veram aiunt se habere absolutionem, cum nec veram quidem absolutionem, sed absolutionis duntaxat externam agnoscant annunciationem? atque peccata

Millesexcenti Errores,

cata non verè absolui, sed non imputari, & aliunde absoluta duntaxat pronuciari doceant?

1557. *Ioan. 20.* Vera absolutio non esse aliud, quàm absolutio-
tionis seu peccatorum, à Deo propter filium eius remissorum, de-
nunciationem. *Omnes passim.* Cum Christus non dixerit, *Quorum*
denunciaueritis peccata esse dimissa, sed quorum remiseritis peccata, remis-
sa erunt: aliud est autem longè Ministrum peccata remittere, ali-
ud remissa denunciare, Iudex liquidem potestate à Domino ac-
cepta, fontes damnat, in fontes absoluit.

1558. Solius Dei esse remittere peccata: Quasi Dominus
non remittat, quod Vice Dominus remittit? Et si Ministros suos
remittere non voluit Christus, quorsum dixit, *Quorum remiseritis*
peccata, remittuntur eis? Solius ergo Dei principaliter, hominum
verò est peccata dimittere ministerialiter.

1559. Absolutionem nullam requirere peccatorum Con-
fessionem vel satisfactionem. At miror, si quis sine confessione
absolui, vel sine cognitione eius, propter quod absolutio petitur
& impendit, rectè possit absoluere? Atq; adèd res leuis sit, Deum
grauiter offendisse, vt nulla prorsus interposita satisfactione, in
gratiam sit recipiendus & absoluendus qui offendit?

1560. *2. Reg. 12. 24.* *1. Cor. 11.* Omnes quæ in scripturis commemorantur Absolu-
tiones, sine multa & peccatorum enumeratione fuisse gratui-
tas. *Calvinus.* An ergò Dauid sine multa fuit absolutus? an ij,
qui indignè Eucharistiam sumpserunt apud Corinthios, sine
multa fuerunt absoluti, & in gratiam recepti? Sup.

1561. Multos Christum à peccatis non audita eorum con-
fessione, nec imposta vlla satisfactione, absoluisse. (*Sæpè supra.*)
Ministris suis, non sibi, legem præscripsit Christus.

1562. *Matth. 18.* Publicanum sine satisfactione fuisse iustificatum.
Calvin. supr. Esto: à Domino factum est istud, & est mirabile in
oculis nostris, cum nec ipse Deus id beneficij alijs impertiri
constituerit, ipso dicente ad peccatores, *Nonne si male egeris, pec-*
catum tuum in foribus erit? Christus satisfactionem ei non impo-
suit, quia semetipso, quantum potuit, satisfecit, iuxta illud,
Si nos-

Si nosmetipfos iudicemus, non iudicemur à Domino. An enim seipsum non humiliavit? non abscondit? non percussit? oculos præ rubore & dolore in terram non defixit? hæc quid aliud sunt, quàm opera voluntaria & satisfactoria? 1. Cor. 11.

1562. Petrum Apostolum sine Confessione & Absolutione fuisse absolutum: Cum nec absolutus, nec sine lachrymis legitur absolutus.

1563. B. Ambrosium quodam loco scribere, *Petri lachrymas lego, satisfactionem non lego. Caluin.* Cum per satisfactionem, non compensationem, sed peccati intelligat excusationem & defensionem, unde ait, *Rectè Petrus fleuit & tacuit, quia quod desleri solet, excusari non solet.* Quid alioquin August. Ambros. cæteriq; Patres de Satisfact. sentiant, supra attigimus. *Leb. 30. in Lucæ cap. 26. Serm. 46.*

1564. Magdalenâ sine multa pœnitentiaria fuisse absolutam. Cum scriptum sit, peccata ei fuisse dimissa, non gratuito, sed quia dilexit multum? Deindè quid lachrymæ eius? quid exterio rigatioque pedum? quid pretiosa unguenta? an nulla hæc satisfactionis opera? Non solum ex amore, sed etiam ex dolore propter peccata commissa voluntariè, nullo mandante, suscepta? *Luc. 7.*

1565. Zachæo nullam pro peccatis suis à Christo fuisse impositam satisfactionem. At cur imponeret, dum ipse satisfaceret? *Dimidium (inquit) bonorum meorum do pauperibus, & si quem defraudavi, reddo quadruplum.* An nulla hæc satisfactio sponte suscepta? An eleemosynæ peccata non redimunt? *Lucæ 5. Dan. Tob. 4.* *Luc. 19.*

1566. Mulieri in adulterio deprehensæ, nullam aliam iniunctam fuisse pœnitentiam, quàm ne peccaret amplius: Cum scriptura non exprimat, à peccatis ne, an verò à sententia iudicis fuerit absoluta? quæ si etiam à peccatis absoluta fuit, ea lege absoluta intelligitur, qua omnes peccatores absolui, lege ordinaria consueverunt, nempe, vt de beneficio absolutionis Deo gratias agat, suoque modo satisfaciat. *Ioan. 8.*

Millesexcenti Errores,

Luc. 9.
Ioan. 8.

1567. Christum non aliud ab iis exegisse, quibus peccata dimittebat, quàm ne peccarent amplius, Deoq; gratias agerent. At obsecro, vbi, quando, vel quibus aliquando Christus dixit, Vade, & noli quicquam pro peccatis tuis, quibus Deum offendisti, facere vel satisfacere? An vt quisque pro peccatis & offensis satisfaciat, ipsa, non reclamante fide vel scriptura, natura dicat? Quin clara sunt scripturæ verba: *Fili peccasti, non adiuuas iterum, sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur.* Eccl. 21.

Homil. 2. in
Psal. 50.

1568. B. Chryso stomum in ea esse sententia, nullam Deum à peccatoribus exigere satisfactionem, ait enim, *Vbi misericordia petitur, iudicium non scuit, pœna locus non est, quæstio nulla est, condonata responsio est.* Calvin. loc. cit. Atqui Chryso stomum non loqui de pœnis temporalibus, ex sequentibus liquet, subdit enim, *Miseretur Deus, sed non passim miseretur, prouocat nos, & dicit, Da & tu aliquid, non quia ego tuis egeo, sed quia & te volo aliquid conferre ad tuam utilitatem.* Et alibi: *Confessio penitentiam monstrat, satisfactio veniam sibi diuina pietate conciliat.* Et inf. *Peius est Deum offensum satisfactione non placare, quàm peccando Dei bonitatem offendere.* Habes Chryso stomi sententiam.

Homil. de Pbis
logonio, & bom.
30. in Genes.

1569. Certum esse, quicquid etiam dicant Pontificij, B. Chryso stomum ipsis non suffragari, sic enim quodam loco scribit: *Ego testificor & fide iubeo, vt si nostrum quisq;, qui peccatis obnoxij sumus, recedens à pristinis malis, ex animo vereq; promittat Deo, se postea nunquam ad illa rediturum, nihil Deus requirat ad satisfactionem vltiorem, benignus enim est, &c.* Hæc Calvinus, recitet verò quæ in ead. homil sequuntur. *Proindè & tu, quibus rebus Deum prouocasti, per has rursus facito propitium, prouocasti illum pecuniarum rapina, per eandem illum reconcilia, prouocasti illum lingua maledicentia, multis contumeliosis affectis vicissim lingua placato, puras emittens preces, benedicens maledicentes, laudans vituperantes, gratias agens iniuriam inferentibus: hæc non egent multis diebus annisq;, sed solo animi proposito, vnico die perficiuntur.* Hæc ibid.

De dogmat. Eccl.
1570. cap. 54.

B. August. satisfactionem aliter non definire, quàm peccatorum causas excidere, nec eorum suggestibus aditum præbere.

bere. *Caluin. loc. cit.* Sed mittamus librum illum, qui non Augu-
stino, sed Gennadio inscribitur, in eodem sanè tam multus de
satisfactione sermo, vt mirum planè sit, qua Calvinus fronte
scribere audeat, ex illo suo malè cit. loc. apparere, illis quoque
sæculis irritam fuisse pæsim satisfactionis doctrinam. Sed nec
peccatorum radices perfectè excideris, si satisfactionem non ad-
hibueris? tolle enim pœnam, à peccatis quis abstinebit? quis non
facile peccatis aditum reditumq; indulgebit?

1571. Omnium optimam & saluberrimam esse pœnitenti-
am vitæ prioris emendationem: Atqui à peccatis desistere non
est de peccatis pœnitentiam agere: Deus autem non exigit tan-
tùm cor mundum, sed etiam cor contritum & humiliatum, lu-
ctum, plañctum, cilicium, saccum, ieiunium, orationes, eleemo-
synas, corporis castigationes, & similia. Hæc scriptura laudat, *Psal. 50.*
hæc commendat, hæc postulat, hæc Deum placare, pœnasq; mi- *2. Reg. 3.*
tigare, affirmat, &c. Hæc omnia pij vereq; pœnitentes, ex se- *Ierem. 4. 6.*
metipsis, non expectata scripturæ vel iudicis sententia, vtrò fa- *1. Coel. 1.*
citant, an facienda sint non disputant, sciunt enim Deum pec- *Exec. 7. 17.*
catis offendi, pœnitentia placari, bonis operibus promereri, &c. *Dan. 4.*
Amos 8.
Tob. 4.
Luc. 13.

2. Cor. 4. Matth. 19. Heb. 13.

*Liquet ex omnibus quæ diximus, eos omnes, qui ab Ecclesia Ro-
mana secesserunt, nullam habere veram & salutiferam pœnitentiam, nul-
lam peccatorum Absolutionem, nullam cum Deo reconciliationem, nullam
beatitudinem. Aliud si quis sibi persuadeat, à vera scripturarum
semira & sententia longè aberrat.*

DE SACRAMENTO Ordinis.

1572. **O**rdinationem Ministrorum legitimam, non esse Sacramentum. Atqui esse, Philippus non negat. *Ex Remo in 2o
part. Examin.
cap. de Ordine*
Supr. de Sacr. in gen.

ZZ

1573.